52015/B/2

E. XV e

38.D.8247

CORNELII TRIOEN

MEDICINAE DOCTORIS

OBSERVATIONUM

MEDICO CHIRURGICARUM

FASCICULUS.

CORNELII TRIOEN

MEDICINAE DOCTORIS

OBSERVATIONUM
MEDICO CHIRURGICARUM
FASCICULUS.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { PETRUM VANDER EYK
ET
JACOBUM VAN DER KLUIS, P. F.

CIↃIↃCCXLIII.

V I R I S

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, GRAVISSIMIS
DOMINIS, DOMINIS

N I C O L A O DE B Y E, J. C.
Conſulari, ac PRAETORI:

P E T R O G Y S, J. C.;

GERARDO ÆMILIO VAN HOOGEVEEN,
J. C.
& ſummo Praetori Urbis Woerdae, ejusque Aggerum Comiti, Arcisque Woerdanae Castellano;

NICOLAO TEDING VAN BERKHOUT, J. C.
atque Veredariorum Praefecto;

JOANNI VAN LANSCHOT, J. C.
Veredariorum Praefecto, ac Judicii Rei Venaticae in Hollandia Adſeſſori;

URBIS LEIDENSIS CONSULIBUS:

NEC NON

EJUSDEM REIPUBLICAE DIGNISSIMIS
SCABINIS

JACOBO DROLENVAUX,
Conſulari & Veredariorum Praefecto;

JOANNI VAN DER MARK, J. C.
Conſulari;

NICOLAO VAN DE VELDE, J. C.
Conſulari;

CORNELIO VAN DORP, J. C.

ADRIANO VAN ASSENDELFT, J. C.

JOANNI EGIDIO VAN EGMOND
VAN DER NYENBURG, J. C.
Toparchae Egmundarum & Rinegum, nec non Reipublicae Foederati Belgii ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem Carolum utriusque Siciliae Regem nuperrime plena cum poteſtate Ablegato;

CORNELIO VAN BANCHEM, J. C.

CAROLO CRUCIUS, J. C.

UT

UT ET
CONSULTISSIMIS VIRIS

PETRO MARCUS, J. C.
Syndico, atque Illustriſſimo Collegio, quod rationibus Delflandiae praeeſt, a Secretis;

ADRIANO VAN DER STRATEN, J. C.
Syndico;

DAVIDI VAN ROYEN, J. C.
Reipublicae Leidenſis a Secretis, ut & Illuſtriſſimis & Ampliſſimis Dominis Curatoribus Academiae Hollandae, nec non Conſulibus Lugduno Batavis ab Actis;

MECAENATIBUS ATQUE FAUTORIBUS PERPETIM VENERANDIS SALUTEM PERPETUAM PRECOR

CORNELIUS TRIOEN.

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Graviſſimique Viri quum recordor ſingularis Veſtrae benignitatis, qua cunctos, me vero prae caeteris Praelectoratus Artis obſtetriciae munere nuperrime demeriti estis, neque fuerim ſolvendo, taedium animum ſubiit; dudum enim pro Veſtris beneficiis in me collocatis, ut debitas, Vobis, ut promptas agere gratias, animique ſynceri ſymbolo adſtruere meum fuerat: neutiquam vero voti mei compos hactenus expectare urgebar, donec tabulae huic operi inſerendae omnibus numeris ab Anaglyptis

glyptis eſſent abſolutae; hisce vero demum conſummatis, Obſervationes Medico Chirurgicas, quas longa annorum ſerie collegi, qua par eſt reverentia, pace Veſtra, offerre ſtudui. Quibus equidem Fautoribus easdem conſecrarem jure majori, quam Vobis? quoniam harum pars maxima ſpectet ad inſtaurationem Veſtrorum quondam morbis, aut noxiis adflictorum civium, quorum ſalus tanquam publica, ſuprema lex, Vobis nunquam non cordi fuerit.

In quem videtis redegi fasciculum animadverſione dignos continentem caſus, praecipue quosdam, quantum mihi expiscari licuit, raro contingentes.

Ne dedignemini Viri Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Graviſſimi liberalium artium Mecaenates eundem recipere vultu propitio; ut tanto praeſidio calumniatorum in me morſus retundam tutius, vel ſilentio diſſimulem.

Summum Numen ſupplex precor, ut Vos, Veſtrasque Familias, atque Rempublicam Leidenſem diu ſervet incolumes.

Dabam Lugduni Batavorum
pridie Iduum Decembris
Anni CIƆIƆCCXLII.

HUMANISSIMO
LECTORI.

Quantum emolumenti ſubſequens aetas e monumentis antiquorum Medicorum ab omni memoria ceperit, artemque medicam his ducibus ad faſtigium ſublimius elatam, neminem latere confido, atque animadverſiones Priſcorum, eoſque ſequentium ſedulo exaratas ſummae utilitatis fuiſſe poſteris, nequis inficiabitur. Hiſce enim, ut infucata, ut intemerata fide concinnatis, a poſteriori quid audendum, quid ſapiendum, imo morbis & noxiis mederi docemur luculenter. Quae, ut fontes ſacri & veriſſimi, inventi nobiliſſimi Medicinae prae caeteris artibus neceſſariae generi humano morbis adflicto, inſtaurando, quod cum ſua ſtructura, tum aëre ac regionibus diſcrepans, iisdem [Endemicis exceptis] aeque obnoxium eſt morbis, merito numerandae. Quae, licet cauſam morborum primariam nobis non ad oculum & digito demonſtrent, nihilominus medendi methodum erudiunt, ac inſtar Phari inſerviunt, quin immo majoris ponderis, quam acutiſſimorum Theoreticorum ratiocinia habendae.

Anatomen Microcoſmi cognitionem evidentiorem explicaſſe, Chirurgicis operationibus perficiendis certiorem monſtraſſe ſemitam, deque vulnerum lethalitate, ejusque coram judice renunciatione edocuiſſe, equidem atque equidem fatemur. Secretionem liquidorum vero adeo a ſe invicem diſcrepantium, ab uno eodemque tamen latice ſanguine ſe-

parandorum, neutiquam tam perſpicue, minus morbos ſanare erudivit, ut medium oſtendat unguem. Machinam humanam, ejusque partium organicarum ordinem, ac oeconomiam animalem exhibuit, explicavit. Quae, licet tanquam e ruderibus eruta improbo labore, ac ſumma Anatomicorum Phyſicorumque ſedulitate, vix nobis parabit ideam elaſticitatis ac motus muſculorum, nervorum & membranarum, quem aeque minus ac febris cauſam primariam concipimus, cujus facultates & effectus animadvertimus, ei vero medendo, abſque praevia praxi, morborumque cognitione, eſſemus impares.

Quis Medicorum, exempli gratia, in materiem morbificam cujuslibet morbi inquiſivit, ut eandem recte noſcat, ac e voto nutuque ſuo e corpore eliminet? eliminat tamen & labefactum corpus inſtaurat. Satius adſeruerim, quo vergat (*a*) Natura, habita ratione ſedulo, eandem eo ducere conatur; Magni Hippocratis prae caeteris praeceptis lex equidem omnium ſuprema, in qualibet noxia, animo volvenda, non rara enim, temporibus (*b*) criticis tamen peſſima committuntur vitia praecoci medicamine, quod tum temporis, utplurimum, plus fellis, quam mellis habet.

Quoties morbus, ſuperveniente morbo, vel ipſis ſperantibus aegris pellitur? modo natura nullis turbetur auxiliis, hac vero monſtrante viam, ducatur oportet & convenit. Cujus emolumenti haemorrhagia narium ultro proveniens in plethoricis (*c*) ſit capite dolentibus, experimur adfatim, cujus

(*a*) Aph. XXI. Sect. I. (*b*) Aph. XX. Sect. I. (*c*) Aph. X. Sect. VI.

cujus ſemita ducti Venae ſectione frontalis, vel mediae cephalalgiam ſubinde ſolvimus promptiſſime.

Urinarum profluvium ſolito majus & criticum in Empyematico antidotis ſufflaminare (*d*) Diarrhaeam naturae beneficio Leucophlegmatico, aut (*e*) febrem convulſioni ſupervenientem ſupprimere, mehercule foret piaculum! Hujus modi quippe morbi ſponte & ultro producti, revera tanquam tot medicinae liberandae machinae humanae gratia habendae. Nequaquam enim morbus ſine morbo, vel hujus analogo medicamine ſolvitur, aut judicatur. Inflammationes exemplo inſerviant! quae ſine Venae ſectione, Tumore, exulceratione, purisve vomitu aegerrime diſcutiuntur, coquntur, aut ſanantur. Haec recto vultu examinata nullo, quam ſub morborum nomine veniunt, quoniam a ſtatu naturali recedunt; ſi vero reſpicias illorum effectus in aegroto corpore ac medendi facultatem, nequaquam morbos dices, ſed eadem praeclara in vitae commodum operantis naturae renunciabis dona. Hae caeteraeque obſervationes Medicorum Principi ſuos concinnandi Aphoriſmos anſam praebuerunt, ad verum & certum [ſi quid horum, penes quosdam, in Arte Conjecturali offenditur] in medicina ſtatuendum, quod in praeſenti quocunque loco, quocunque receſſu in orbe terrarum inſtar axiomatis adſertum eſt.

Utinam ſubſequens aetas veſtigia hujus ſummi Ducis nunquam non presſiſſet! dignaque animadverſione exaraſſet! a cu-

(*d*) Aph. XXIX. Sect. VII. (*e*) Aph. XXVI. Sect. II. Aph. LVII. Sect. VI.

cutiſſima quippe perſpicaciſſimi Phyſici ratiocinia nequaquam nobis morborum ideam formabunt legitimam, minus medendi methodum explicabunt; in promptu cauſa eſt, raro enim experimur regulas, quas ſibi elegit ratio omnibus numeris experientiae ac ſymptomatibus morbi convenire. Hinc ſatius, rectiusque de morbis cognoſcendis, iiſque ſanandis a poſteriori ex illorum hiſtoria renunciabit, quia morbus ratiocinationem, non ratiocinatio morbum antecedit, quae vel ſagaciſſima nullomodo tamen cujuslibet morbi explicationi ſatisfacit, hinc ſecundum eloquentiſſimi Aurelii Cornelii Celſi ſententiam. (*f*) *Repertis deinde jam remediis homines de rationibus eorum diſſerere coepiſſe: nec poſt rationem, medicinam eſſe inventam: Sed poſt inventam medicinam, rationem eſſe quaeſitam. Cujus autem non eſt certa notitia: ejus opinio certum reperire remedium non poteſt. Verumque eſt ad ipſam curandi rationem nihil plus conferre, quam experientiam.* Quomodo enim, ſuperveniente perpetuo Delirio, levique Mania judicetur Peripneumonia indice demonſtrare arduum, & plus quam difficile, per metaſtaſin materiem morbificam hinc illuc translatam judicabimus & merito, neutiquam propriam fomitis cauſam habebimus perſpectam. Quis ille Oedipus? qui ſolvet enigma, quomodo febre per aliquod tempus laboranti, mox, eadem judicata, lingua accreſcat, ac oretenus dependeat? peccantem materiam ſe in linguam determinaſſe fatebimur, queis viis vero, hic labor hoc opus.

Quapropter ad recte & tuto ſanandum, morbos eorumque

(*f*) Libro I. de Medicina.

que phoenomena & ſymptomata noſcere oportet e praevia praxi, nec nimium regulis theoreticis fidere, hae enim nos tenent ambiguos, illa ſemitam curandi demonſtrat proximam. Experiamur quali methodo ſolis ratiocinationibus hanc illamve noxiam pellendam eſſe tum propria, tum aliorum remota praxi, ac verſemus quid certi de eo ejusve cura ſit colligendum! nos ut in eadem cognoſcenda, ut in curanda ancipites haeſuros, neutiquam ipſi dubitamus. E contra caſum quemdam ſemel iterumque recte perſpectum, quin immo abſque ulla cunctatione tractare nobis in proclivi fore, teſtabitur praxis, duntaxat principium, ſtatum, progreſſum, judicium, morbique cataſtropham animadvertimus, quibus omiſſis, parum regulis theoreticis promovebimus, harum enim praeceptis morborum phoenomena non aeque reſpondent, ac authoma auſcultat, nutu artificis, ponderi, elateri, caeterisque moventibus. Microcoſmus humanus machinis licet ſuas operationes mechanice abſolvat, experimur nihilominus, quoties in inopinatis ſymptomatibus conſilio uti in arena medenti neceſſe ſit, haud ſecus ac naucleris, ne patiantur naufragium.

Quae cum ita ſint, & merito in praxi medica habenda axiomata, non inferiorem locum obtinent in Chirurgia; haec non ſimul & ſemel, ſed temporis tractu, ac pedetentim in commune bonum dexterrimorum obſervationibus tandem prodita, quapropter ſecundum antiquorum dogmata adminiſtranda, praeprimis, quum ejus ſubjecta externa corporis humani ſint accidentia penitius ſenſibus oculiſque, vel digito demonſtranda, quae contra artis leges curatum

ſuscepta, commiſſa vitia nunquam non artifici Chirurgo exprobrant. Oſſa ſimpliciter inſtar radiculae confracta, verbi gratia, male reſtaurata, vel ab initio nimis arcte obligata, auctorem arguent inſcitiae. Tumor [raro excepto] ante diem phlebotomo ſectus, aut exulceratus funditus caeſurae procraſtinatione, in caſu priori induratas circumjacentes partes, vel in poſteriori ſubinde inſanabiles patrabit fiſtulas, quaquaverſum excurrentes, nec encheireſi, nec ferro aut igne in poſterum domandas. Oſſium ſeparationem carie adſectorum, ſuis membranis orborum promovere pinguedinoſis, non vero ſiccis, ac putredini reſiſtentibus, non ſecus ac lixivium in linteum operantibus, ſummam ſaperet ignorantiam, neutiquam artem, imo maximopere repugnat Chirurgiae praeceptis. Vetuſtis ulceribus integumenta corporis pertundentibus unctuoſis, adipoſis, ſparadrapis caeterisque iſtius farinae continuo mederi, absque ullo diſcrimine experientiae contrarium eſt, & repugnat ſententiae Priscorum, eadem ſaepius cautere coquenda, aut ſiccis mediis curanda jubentium. Attamen ab imperitis quaevis ulcera hoc modo curatum ſuſcipi ingenui teſtantur Chirurgi, nulla alia de cauſa, quam antiquorum dogmata deſerendo, propriiſque ratiocinationibus indulgendo, dum juſti interim patiuntur, ac ars praenobilis Chiurgia in ſordidum opificium vertatur.

Anomala primo intuitu ſubinde a praxi remotiſſima, vel ipſis expertiſſimis Medico Chirurgis occurrere, nullus inficiabitur; de iis vero antiquitatem conſulere, longa experientia edoctis demonſtrare, eorumque colligere ſententias oportet, non omnia poſſumus omnes, nec juvenilis praxis quaelibet adeo

adeo perſpecta habet, ut, tanquam de Tripode Vates, quoslibet noſcat primo intuitu morbos, eosque curet. Eandem vero artis primitiis imbutam, quae caſus obfert crebro exercitio, ac propriis tractare manibus ipſa res jubet & ratio, quum minus erit arduum, vel a prima fronte in claſſes & ordines redigere noxias, iiſque, cauſarum habita ratione, requiſitis ſuccurrere ſubſidiis, pulverem ſcholaſticum mittere, quid ſatius, quid rectius audere. Chirurgia quippe hoc habet in ſe, quod phyſicos exigat operantes artis ac experientiae peritos.

Quoties ulcera ſordida ſecundum praxin legitime ſuſcepta ſimul & ſemel puris proventum retinent, nec mediis ſolitis auſcultant? cruſtaque lardum referente teguntur? quare in hujusmodi phoenomeno parti cataplasmatibus emollientibus motumque conſiliantibus, queis vaſa circumjacentia in majorem ducantur actum, ut pus promoveatur proſpicere Chirurgo non foret integrum? quare contuſioni non aequius fotibus confortantibus, vino rubello, caeterisque muſculos, nervos, ac tendinoſas corporis partes reſtaurantibus, quam ignaviſſimis linimentis adipoſis, aceto, urinis, aut aqua ſimplici conſulere liceret? quare oſſis fracturam ſimplicem in poſterum nocitura curioſitate ſolveremus? quamdiu decumbens nullo cruciaretur dolore, pars adfecta e voto quiesceret, quin immo ligaturis faſciisque, urgente neceſſitate, reſtrictis, naturae ac conficiendo traderemus callo? haec caeteraque in Chirurgia obſervanda ſunt, quo vergat natura inquirendum, quum raro ſpes ſuſcepta Chirurgum ludet.

Hinc tandem colligo indefeſſa ſedulitate, agendo, com-

pa-

parando occurentia Medico Chirurgorum ſacrariis, ut & rationi, quemlibet dextrum Chirurgum tuto, cito, jucunde & bene ſanaturum. Nulla quippe alia de cauſa Priſci ſuas edidere obſervationes, ac nos haec collectanea publici juris fecimus, quam ut Medico Chirurgophilis caſus raro contingentes, cum obſervatos, tum horum quosdam ſanatos exhiberemus, poſterisque ultro properantibus calcar inſuper adderemus, ſua ut in praxi occurrentia ac notatu digna in mortalium commodum Reipublicae Medicae conſecrarent.

Accipias Humaniſſime Lector has primitias, quarum objecta prae caeteris eximio artifici Francisco van Mieris delineanda, deinceps illius archetypa aeri incidenda, ſub auſpicio dexterrimi ac verſatiſſimi in arte ſculptorea celatoris Joannis Wandelaar Anaglytae tradidi, ignoſcas vitiis, ut a me, ut a typographo commiſſis, omnes enim iis urgemur, quum humanum ſit errare, ſcriptorem hominem putes, eundem vero, brevitati ſtuduiſſe, & in veritatem collimaſſe, credas, te etiam atque etiam rogo.

ELEN-

ELENCHUS OBSERVATIONUM.

Catalepſis.	Pag. 1
Rara Diabetis cura.	2
Atrophia Sanata.	3
Calculus Gemellus ultro excretus.	6
Peripneumonia levi mania judicata.	7
Iliaca paſſio apoſtemate judicata.	11
Miſerere mei Sanati hiſtoria.	13
Leucophlegmaticus inopinata criſi adſertus.	14
Paraphrenitis gelida curata.	15
Ab adſumpto Borace Pertinax morbus.	18
Hydrocephali obſervatio.	23
Alvi per tres ſere menſes adſtrictae hiſtoria.	25
Urinarum ſuppreſſionis ſtupendum exemplum.	26
Pes tripodis puerulo in Cantho oculi minori caſu infixus.	29
Aſelli lactes nec omnibus conveniunt.	30
Prodigioſa lupia.	32
Steatomatis ad medium cruralis Arteriae internae in femore caeſura.	34
Pertuſae Calvariae Cura.	38

***

Sclo-

Sclopeto inflictum vulnus memorabile. Pag. 40
Pudendagrae cura. 41
Fragmenti oſſis frontis lue Venerea ſeparati exemplum memorabile. 43
Fragmenti oſſis Bregmatis ulcere ſordido ſeparati hiſtoria. 44
Inferioris maxillae conſpicua ſeparatio. 46
Haemorrhagia uterina ſedecim per annos perſeverans. 49
Capillitii plica. 51
Capitellum ſedis vulva lapſu intruſum. 52
Ancillae alterutrum vulvae fiſſum labellum. 53
Inteſtina tenuia ano excreta. 54
Excreſcentia Varicoſa in inteſtino recto. 55
Ani fiſtulae hiantis in vulvam hiſtoria. 58
Ani fiſtulae hiantis in vulvam hiſtoria altera. 59
Ani clauſi hiſtoria. ibidem
Ani clauſtri hiſtoria. 60
Alvinis faecibus remora. 61
Excrementa alvina ſectione ano ſubmota. 62
Dextri oculi orbitae fractura. 63
Vaginae uterinae Calloſitas partui repagulum. ibidem
Partus Caeſareo Proximi hiſtoria. 64

Peſ-

Peſſus ob uteri lapſum per ſeptendecim annos geſtatus e vulva extractus. Pag. 70

Molarum cauſae indagatio. 72

Hydropis ovarii hiſtoria. 77

De Ulceribus. 80

Exulcerati Perinaei Hiſtoria. 90

Ulceris Fiſtuloſi pertinaciſſimi memoria. 92

Herpetis Eſthiomeni, ſeu Corroſivi exemplum memorabile. 94

Tumor Oculi & Palpebrae cancroſus. 96

Lentis Cryſtallinae ex oculo expulſio. 98

Conſpicui Tumoris, ſuperveniente Gangraena, in faetidum ulcus degenerati memoria. 99

Ulceris cum Labiis duris, oris inverſis, comite vix credibili intumeſcentia exemplum. 101

Conſpicui Tumoris Carcinomatoſi e variis Tuberculis conglomerati Caeſura. 103

In Spinam Ventoſam animadverſiones 105

  Ejus diſcrimina in Venenoſam & Mitiorem. ibidem

  Quomodo ab aliis morbis oſſeis differat. 108 & 109

Spina Venenoſa. 111

Sanatae Spinae Venenoſae obſervatio. 113

Sanatae Spinae Venenoſae altera obſervatio. Pag. 114
Sanatae Spinae Venenoſae Tertia obſervatio. ibidem
Spina praecedentibus Mitior. 115
Spinae Mitioris ſanatae memoria. ibidem
Alterum Spinae Mitioris ſanatae exemplum. 117
Spinae Mitioris ſanatae exemplum Tertium. 119
Meliceria Celſi. 124
Ejus obſervationes. 125 & 126
Anchyle ſive Anchyloſis, ejusque diſcrimina, 126
Hydrarthri Curati obſervatio. 134
Hydropis Articuli ſanati altera hiſtoria. ibidem
Incipientis Ichoris pinguedinoſis perperam muniti adſertio tertia. 135
Hydrarthri utrumque genu obſidentis curatio quarta. 136
Funeſti Sphaceli Pedis, Genu transgredientis, memoria. 137
Sphaceli diriſſimi Exemplum. 138
Alterius Sphaceli curati Hiſtoria. 141
Linguae Stupendae magnitudinis ac facultatis hiſtoria. 142

COR-

CORNELII TRIOEN

MEDICINAE DOCTORIS

OBSERVATIONUM MEDICO CHIRURGICARUM FASCICULUS.

CATALEPSIS.

INter caſus medicos raro contingentes, non infimi ſubſellii morbus eſt Catalepſis, cujus phaenomena, quantum ipſe notavi, ſequens narrabit hiſtoria. Philippus De Barlemond juvenilem aetatem agens, tempore autumnali anni CIƆIƆCCXXXI abſque manifeſta cauſa, quoad inquirenti patuit, Catalepſi adficitur: reſupinum in lecto inertis codicis, (*a*) aut ſtatuae inſtar jacentem, oculos ictu tactuque, vel admoto candelae lumine, apertos retinentem inveni; pulſus cum aequalis tum naturalis, ut & reſpiratio liberrima eum comitabantur, quem licet adſtantes frequenti vociferatione ſui nominis percellere conarentur, illorum neminem auſcultavit.

Equi-

(*a*) Tulp. Obſ. XXII. Lib. 1.

Equidem fateor, me nihil certi animo fluctuante colligere valuiſſe, donec iterum pulſum explorans, dextra congelati hominis arripiam manum, eamque dimittens, obſervem ſeſe in eodem, quo exporrexeram, ſiſtere ſtatu, quapropter deinceps alteram extendo, hancque ſuam ſtationem ſervare animadverto, mox alterutrum crus, ſepoſitis ſtragulis, attollo, ſed ſubſidere neſcium, hunc Catalepſi laborare, me reddidit certum, atque curando homini mediam pertuſam venam parem expertus ſum; miſſo quippe ſanguine, actutum rediit ad ſe a diverticulo, in quo per tres integras horas perſeveraverat, repetens ſermonem, ante paroxysmum, cum uxore & familiaribus habitum.

RARA DIABETIS CURA.

Tinctor Diabete, quam hydropem ad matulam vocant, adfectus a variis auxilium imploravit, luſit vero medicorum operam morbus, hinc vitae pertaeſus, alicujus familiaris ſui conſilio ſequenti medicamine ſe ſtuduit curare, ac unica vice integram modo conditam eſt halecem, bibitque vini Rhenani vetuſtioris libram, ſubſequentium viginti quatuor horarum ſpatio, praeterea nihil. Maximopere ſitibundus, cruciatui impar, morbi atrocitatis tamen patiens, ac ferreus homo ipſa morte perpeſſus eſt graviora: poſtera luce, propoſiti tenax, ejusdem liquaminis dimidia veſcitur parte, ac generoſi Linaei Patris duas impiger adſumit libras, patientia vix credibili cataſtropham actus expectat, vota vicerunt, & quae caſus obtulerat, nec ars, nec ratio, ſed ſors in commodum vertit.

ATRO-

ATROPHIA, PRAEEUNTE MORBO INFLAMMATORIO, DEINDE FREQUENTE ABSCESSU INDUCTA, TANDEM SUPERATA.

Si (*a*) *ducenda, in principio ducenda, praecipue ſi turgeant*, quae in inflammationibus nunquam non turgent; idcirco ducere oportet, quin immo (*b*) *Sanguinis iterare miſſionem*, quod effatum in Pleuritide, noſtrae regioni familiari, caeteriſque inflammationi ortum ſuum debentibus morbis experimur veriſſimum.

Inflammatorio morbo ac febre continua vidua Julii Mareit prope Lugdunum Batavorum degens anno CIƆIƆCCXXXIII ſuae, ni fallor, aetatis quinquageſimo primo corripitur, cui ob haemophobiam opportuna ac debita ſanguinis depletione in morbi principio haud fuit proſpectum; hinc variae lachrymae, & ſymptomatum agmina; quae [ſi ratiocinio a poſteriori concedatur locus] venae ſectione proculdubio in ipſis cunis fuiſſent ſuppreſſa, nec laticum corruptioni anſam praebuiſſent: aeſtu enim ſanguinem incendi, ac vehementiſſimo attritu comburi, collectu difficile non eſt. Hoc ejus diatheſis turbatur adeo, ut vix propriae ſuae facultatis quid retineat; quemadmodum in miſſo, in morbo inflammatorio pertinaci, ſanguine experiri licet, qui primum ſeſe floridum ac rubicundum, iterum, perſeverante morbo, inſulam ſuo ſero innatantem ſuperius cruſta membranacea chartae pergamenae ſimili opertam exhibet, tertium ſubinde ſe purulentum & grumoſum ſiſtit, quo haud raro machina hu-

(*a*) Hippocrat. Aphor. XXI. & XXII. Sect. I. (*b*) Oribaſ. Synop. Cap. VII.

humana, ſi non brevi peſſundetur, ſaltem variis poſtea ac diris urgeatur vitiis; ſanguis enim diuturna inflammatione agitatus blando ſuo privatur ſero, incenditur, adeoque comburitur, ut nil praeter vappam relinquat ignavam, quam in cachecticis, ſcorbuticis ac diu quartana laborantibus obſervant Medici. Hinc inertia ſua motui impar pronus ad ſtagnationem, ulcera cacoëtica producenda, promptus ad puris cloacas formandas, uti luculenter in hac decumbente experti ſumus.

Huic, poſtquam per aliquot hebdomadas cum inflammatorio morbo luctata fuiſſet, eoque utcumque poſtremo compoſito, ſupervenere puris collectiones, prae reliquis ſub collo ad oſſa clavicularia, ruptae virulenta ſua materie eorum perioſtium nigredine faedaverunt, ulcusque ſordidum cum labiis exeſis reliquerunt.

Temporis progreſſu altero abſceſſu in brachio ſuperiori, qui totam bicipitis & adjacentium muſculorum compagem ſuppuratione minitabatur, adfligitur. Revulſus, potius integumentis corporis communibus acredine ſua eroſis, per frequens foramen ingentem ſecrevit puris copiam, qua vix decreſcente, in oppoſito brachio circa cubiti flexum deinceps brevi ſeſe ejusdem tituli noxa ſiſtitit, nec minori ubertate reditum ſuum ultro eructavit. Mox circa clunes jam contabeſcenti, & puris effluxu viribus exhauſtae, praemonitis majus oritur Empyema, materia turgidum, quod maturum pariter evacuatum fuit. Nec tamen adflictam jam tanti plena cruoris miſit hirudo; nam inſigni, & omnium maximo ab hypochondrio ſiniſtro ad lumborum vertebras excurrente tumore vomicarum agmen clauſit, quem, verentes, ut abdominis cavum purulenta materies ingrederetur, praecocem pertudimus.

Qua abſceſſuum caterva, tantaque laticum evacuatione in totius

totius corporis Maraſmum incidit, ut potius ſceletum orba pinguedine cute tectum, quam corpus ſuffultum muſculis referret. Nec defuere lipothymia, animi deliquia, & hujus generis infauſti ominis hoſtes & ſymptomata.

Enervi conſulimus emulſionibus, refocillantibus, cardiacis reſtaurantibus, & diaeta conveniente, blanda & plena mucagine. Partes laeſas fotu confortante e corticibus quercinis, roſis rubris, vino caeteriſque parato, munivimus; quibus tandem hanc macilentam vindicavimus, quae in poſterum priſtina uſa fuit valetudine.

Dignum eſt notatu, quod, ultimo excepto, nullum horum Empyematum perſciderimus, licet in phlegmone jam ſuppurata ſaepius requiratur, praecipue ſi ſubjacens membrana adipoſa ab inflammatione, uti plerumque, adfecta, nec oſtium ulceris evacuandae materiae ſuffecerit, haſce vomicas, ab iiſque producta ulcera ſolis ſpleniis praemonito fotu madentibus, ligaturis rite adhibitis, fuiſſe ſanata.

Quemlibet abſceſſuum animo perpendens ſedulo, eos, delinquente arte, tot auxilia in vitae commodum perfectum tandem judicium fuiſſe operata, materiam morbificam e corpore eliminaſſe, adflictam a vitiis redemiſſe, nec non, morbo morbum pelli, a poſteriori colligo; qui, niſi ejus focus in principio debita depletione extinguatur, acriter excandeſcit, & ſuo progreſſu nil praeter feralem exitum vaticinatur; eundem vero, licet perperam curatum, provida tamen natura, contra ſpem & medicorum praeſagia, criticis evacuationibus, uti in hoc caſu, ſolvi ſaepius experimur.

CALCULUS GEMELLUS ULTRO EXCRETUS.

In homine Microcoſmo Divino ſtupenda, primo intuitu, ab obſervatoribus licet integerrimis & ſine fuco denarrata jurisque publici facta, vix humano intellectu concipienda, quin immo huic inuſitata fieri naſcique, nullus eſt, qui dubitat. Morbum, critice morbo ſuperveniente, pelli, materiam lapideſcentem, jam unicum, iterum plures conficere calculos, nunc ſphaericos, arcuatos, ſpinoſos, aſperos, glabros, foliaceos, ſaxeos, eosque liberrime absque ullo cruciatu ſubinde in veſica urinaria nidulari, denuo ei tanquam lapidariae matrici adnaſci, quis inficiabitur? Sed hoc faſce moleſto hominem levare Daedaliae naturae operam, nemo non ſtupeſcit!

Gabriel Leſſingie annum trigeſimum ſextum agens in puerili aetate ponderoſa calculi mole ſectione fuit curatus, vixitque ſatis vegetus ad juvenilem; qua tranſacta in eandem incidit Charibdim, cum urinarum urgente ſtillicidio, pudendorum inflammatione, perinaei tumore; quo rupto, ovo gallinaceo non abſimilem parturivit calculum, atque hoc exploſo mox ſolvitur malo, ab omni vitio vindicatus; donec menſe Junii Anni CIↃIↃCCXXIV alteram recidivam paſſus gemellum calculum enixus fuerit.

Bini ſibi invicem articulatione adamuſſim juncti, ſuperiore humani veretri glandem mentiente, inferiori, ſcrotum exhibenti, incumbente, ac tertium adſertus: ſejuncti perfectiſſime concinnatam articulationem, nitente dotatam oſſibus, motus ergo, ſuperficie demonſtrant, docente (*a*) archetypo.

Rara


(*a*) Tab. I.

TAB: I.

Fig: 1.




Fig: 11.



A

Fig: 111.



F: v: Mieris delin..

J: v: d: Spyk Sculpſ.

Rara equidem hiſtoria medicorum, hoc tempore fidem ejus intemeratam adſtruentium, in ſe tenens oculos; nec minus huic homini ſine vitae jactura primum calculum exſectum, alterum, per perinaeum, per eandem ſemitam tertium ſponte exploſum, ſummam meretur admirationem; ſed quale melius, quam rerum magnae Parentis dulce Praeſidium?

Tabulae primae explicatio.

Figura prima utrumque Calculum tanquam unicum,

Figura altera, tertiaque eosdem a ſe invicem ſeparatos, atque articulis familiari glabra A ſuperficie dotatos demonſtrant.

PERIPNEUMONIA LEVI MANIA JUDICATA.

Inter acutos Pectoris morbos Pulmonia, quam Graeci Peripneumaticon appellant, non eſt infimi loci. Qualis & cujus indolis, artis Medicae principes docent; nempe inflammationem pulmones adficientem. Nec raro ſtipatur ſatellite, *Dolore* ſcilicet, (*a*) *gravitate & pectoris tenſione, ſpirandi difficultate, febre acuta & ardente, impetu, & multae repletionis perceptione circa fauces, materia ſurſum verſus impetum faciente, inſtar ignis, rubicundis malis, oculis tumentibus, cute ſuperciliis incumbente deorſum nutante*; excretione phlegmatum ſanguine inſtar carnis loturae mixtorum, crebra tuſſi & delirio quamquam in morbi principio levi, (*b*) ſuſpecto tamen, progreſſu mox graviori.

Qui-

(*a*) Paul. Aeginet. de re Med. Lib. III. Cap. xxx. (*b*) Hipp. Ap. XII. Sect. VII.

Quibus ab aliis differat thoracis adfectibus apud Auctores inquirere eſt in proclivi, nec non cauſas cum antecedentes, tum proximas.

Antecedentes ſunt variae pro anni tempeſtate, decumbentium aetate, victus ratione.

In omnibus hoc morbo adflictis proxima eſt pulmonum inflammatio a quavis cauſa oriunda, teneram hujus principis viſceris ſtructuram adficiens, laedens, morbi incremento tandem deſtruens, vel immo imperfecta criſi in Empyema, Phthiſin, aut ad Sphacelum & putredinem ducens.

Hujus prognoſis difficilis. In qualicunque aetate periculoſiſſimus. In Juvenibus difficulter, in Senibus raro, dixerim neutiquam curandus adfectus: praecipue, ſi ei adſit ſtrangulatio, linguae (*c*) unguiumque livor, ut & manuum pedumque ſudor frigidus, morituris familiaris.

Morbus ob dolorem obſcurum ab aegrotis in principio non multi habetur, qui, propter pulmonum ſtructuram laxiorem, non adeo exquiſiti eſt ſenſus, quam in tono elaſtico majori pollente membrana, hinc praevalidum auxilium venaeſectio prorſus omittitur, dum putreſcenti interim conſpicuo viſceri anodynis & topicis mederi ſtudeatur, quapropter ſaepius Medico accedente de iis conclamatum, ſaltem res ad triarios redacta. Idcirco Celſus optimo jure (*d*) *hoc morbi genus plus periculi, quam doloris habere* renunciavit: nec ſine ratione, male curatum enim in Empyema, Phthiſin, vel Vomicam degenerat, niſi expectoratione levetur, aut per urinas perfecte judicetur.

Plethoricis hoc morbo laborantibus narium haemorrhagia ultro ſuperveniente bonum, diarrhaea malum. *A pleuritide*

(*c*) Aphor. XII. Sect. VIII. (*d*) De re Med. Lib. IV. Cap. VII.

tide, aut a peripneumonia detento alvi profluvium malum. Teſte (*e*) Hippocrate. *In vehementibus & periculo proximis pulmonum inflammationibus abſceſſus ad crura omnes ſane utiles* (*f*) *eodem.*

Hunc morbum periculoſiſſimum criſi memoria digna judicatum levi mania in ſequentibus olim meminiſſe juvabit.

Janus Le Roi civis lugdunenſis triginta ſex annos circiter natus, abhinc aliquot annis hoc morbo adflictus, ſeptimo die, poſtquam perpeſſus pulmonum inflammationem praemonitis ſignis & ſymptomatibus cinctam, eique ſemel iterumque vena pertuſa fuerat, inſomniis, deliriis, febri acuta, tuſſi, cumque excretione phlegmatum purulentorum luctatus eſſet, incidit in levem maniam, quae eum dementem & inſanum detinuit per quatuor dies, quos abſque phlegmatum excretione, ſomnove tranſegit cum aſſidua jactatione & inquietudine, donec ſomnus, nullo auxiliante anodyno, eum obrepſerit, ipſique mens redierit ac conſtiterit, nullo prorſus urgente vitio, excepta debilitate, quam ſimul cum vitae periculo ſuperavit incolumis.

Eundem hujus adfectus eventum, eodem plane modo ſoluti, in Juſto Ooſterbaan mercatore Noordvicenſi prope Lugdunum Batavorum expertus ſum, hic caeteris paribus, per ſeptem integros dies inſanivit, quibus praeteritis arctiſſimo ſomno per triginta ſex horas quievit, ac morbo ancipiti immunis priſtinam recuperavit valetudinem.

Nicolaus Kroon bajulus civitatis Leidenſis hoc morbo aeger ejusdem judicii beneficio diſcrimen evaſit.

Antonius Kouwenhoven in juvenili robore, Anno CIƆIƆCCXXXIX menſe Junio peripneumonia adfectus, mania ſuperveniente, ſine ulla noxa minimo relicto morbi veſtigio, ex eadem calamitate emerſit. Quorum exempla, ad perfectam

(*e*) Aphoriſm. XVI. Sect. VI. (*f*) Lib. praenotion.

ctam pulmoniae per maniam criſin adſtruendam, ſufficere crediderim. Quomodo morbus adeo acutus, qui ut plurimum expectoratione phlegmatum concoctorum, aut per urinas ſolvitur, per recitatum tramitem judicetur explicare, hic labor hoc opus eſt, & Oedipi ſagacioris. Effectum experimur, operantem cauſam neſcimus, conjiciendo explicationi inſudamus, dum praecipuo fini mederi ſtudendum.

Cura inſtituitur ſequentibus indicationibus ſatifaciendo. Primo inflammatio tollatur, ſaltem coërceatur, vaſa larga venae ſectione, quin immo iterata deplendo: veſicatoriis adfectae parti vel cruribus admovendis, ut evacuatio promoveatur; quamobrem (*g*) Celſus *Sal contritum mixtum cerato ſuper pectus imponi, quia leviter cutem rodit*, praecipit. Secundo ad motum ſanguinis cum impetu in pulmones ruentem compeſcendum, eum ad crura & pedes epiſpaſticis & pediluviis ducendo. Tertio ardorem componendi gratia, largiori hauſtu & frequenti, ex amygdalis ac ſeminibus refrigerantibus parato egelido, aut aeſtate frigido propinando; quaevis enim abluentia, blanda, expectorationem promoventia & maturantia deſiderantur. Exulent opiata, febrifuga ſpecifica cane & angue pejora, nec enim morbi cauſam tollunt, nec emendant, ſed deliria, inſomnia adaugent, foventque vitii fomitem. Alvus ſervetur adſtricta, eam ducere purgantibus piaculum: ſi tamen urgente neceſſitate ducenda, emolliente clyſtere ſolvatur; ne catharticis, quae puris concoctionem turbant, expectoratio ſufflaminetur: axyoma in chirurgicis praecipuum, puris generationem alvum laxantibus retrudi. Materies enim in pus convertenda praecoci hoc praeſidio ante diem movetur, & foras eliminatur. (*h*) *Concocta purgare & movere oportet, non cruda, neque in principiis.*

Victus

(*g*) De re Med. Lib. IV. Cap. VII. (*h*) Hippoc. Aphoriſmo XXII. Sect. I.

Victus ratio habenda tenuis, balſamica, oleoſa e ſeminibus, & fructibus horreaciis petenda: olera ex herbis refrigerantibus: juſcula e carne vitulina conducunt. Acria, aromata prae caeteris profliganda, ſtimulantia, vinum praecipue, arcenda. Quae e lacte dulci, aqua, cereviſia recenti, ſaccharo, melle, pane, amygdalis parantur, exhibenda. Hauſtus e ſeminibus frigidis, ptiſana egelida, aeſtate frigida, ſubinde hydromellis pocillum porrigenda. Ab aëre aeſtuoſo, frigido & humido, aquilone, & nebulis caveant, animique pathematibus, nec pulmonibus inimicae indulgeant Veneri; caeterum neſciant iraſci, ſit motus pacatus & modicus, res naturales, pro morbo redempti ratione & commodo, morem gerant.

ILIACA PASSIO APOSTEMATE JUDICATA.

Dolorem Gravativum remiſſum ac languidioris, lancinantem exquiſitioris ſenſus, membranas tendineas adficientem truculentiſſimum eſſe, imo aptum natum febres, ſpaſmum, ipſamque inferre mortem, pro mali cauſa ab obſtructione, ſubſequente inflammatione, laeſione, expanſione & adflicti viribus, niſi arte, vel critice judicetur, teſtatur Praxis medica.

Stephanus van den Thuin, Anno CIↃIↃCCXV ſuae aetatis vigeſimo nono alvo adſtricta praeter naturam oppreſſus ſaeviſſima colica adfligitur, crudeli dolore, animi deliquio, proclivi in vomitum comite niſu. Huic ſuccurrere ſtudemus, ac clyſterem, carminantia, anodyna praeſcribimus, fotumque ventri imponi curamus; ſed auxilii ſocordia remedia: ſubſequente enim die, ex hac Charibde in Schyllam,

Miſerere mei, ſeu Iliacam paſſionem incidit, evomens pharmaca cum per os adſumpta, tum ano injecta. Qua peracta tragoedia ſupremum vitae terminum minitante, conqueſtus fuit primo de verberatu, dolore punctorio [caeteris primae labis ſymptomatibus jam decreſcentibus] mox tumore circa ilium ſiniſtrum inguine ſuperius in medio micante, cujus incluſa materia digitis renitebatur, inque rupturam vergebat, ut brevi tandem pus chylo & eſculentis commiſtum eructaret, & inteſtinum adfectum renunciaret, quemadmodem partes exulceratae Chirurgum luculenter docuerunt, qui mecum ſtylo exploratorio cavernoſum ulcus perpendiculari, caeterum obliquis fornicibus ſub integumentis ventris repentibus inſtructum, experiebatur, nec non religationi ac plumaceolis heſternae coenae grana milii adhaerentia, nullum rupti tenuis inteſtini dubium relinquentia, abſque foetore ſtercoreo obſervabat.

Curam ſequente methodo ſuſcepimus, primo ſpongia cera cocta fiſtulam ampliavimus, ſecundo dilatatam forfice reſecuimus, tertio calloſa ulceris labia carnivoris caſtigavimus, ſinum arido carpto mercurio praecipitato rubro ſemel iterumque abluto munito implevimus, donec carne infarctum, rupti inteſtini membranae cum peritonoeo redintegratae, empyematis ſtillicidium, ac ingeſtorum vomitus fuerit compoſitus: interim ſympromatibus hominem agitantibus, tuſſi ſcilicet, ſternutationi, alvo adſtrictae hunc uſque ad morbi exitum detinenti, pectoralibus, antiſpasmodicis, laxantibus ac blandis adtulimus ſuppetias. Tandem indies ſaneſcenti ulceri inducta eſt cicatrix aniformis, firma ac valida, faſciis & ligaturis e re decumbentis roborata, reſerationis metum diſcutiens; commodum omnibus, laeſas membranas, vulnera muſculorum profunda, eorumque tendinum, ac nervorum perpeſſis commune: raro quippe hujusmodi ſtigma-

ſtigmata, niſi intempeſtiva febri ſuperveniente, ab antiquo ſolvuntur vitio recrudeſcente, quo immunis evaſit tanti morbi diſcrimen, veletudinis proſperae, victumque quaerendi compos.

MISERERE MEI SANATI HISTORIA.

Vidua annum agens quinquageſimum quintum, nomine Petronella Lindana, decimo calendarum Junii labentis ſeculi Anno XL Iliaca paſſione adfligitur, abdominis infandis torminibus, miſerrimo ejulatu adſtantium aures feriente, nauſea, vomitu caeteriſque ſtipata ſymptomatibus, praeprimis alvo adſtricta, quam clyſtere emolliente & carminante ducendo, miſeraeque mixturam flatus deſcutientem anodynam propinando, ſuccurrere ſtudui, ſed inania meditatus, ille enim recto injectus mox ſine fruge inferius defluxit, hanc per os evomuit; quapropter alterum ex herba Nicotiana injici paratum curavi, vix vero eundem receperat inteſtinum, quin ſuperius ore eructavit; interim ventri pulte ex avena aqua communi cocta proſpexi, abſque levamine tamen.

Hiſce non juvantibus redactaque re ad triarios, ventre attamen nondum indurato, nulloque adhucdum ſpaſmo (*a*) ſymptomate lethali ſuperveniente, adflictae egelidam largo hauſtu exhibui, quam per aliquot horas retinuit, deinde vero rejecit, tum laudani puri grana tria pro quinque pellulis, quarum ſingulis horis unicam adſumeret, praeſcripſi, quibus dolor fuit ſedatus, alvo tamen adſtricta perſeverante; quamobrem eandem movere Tabaci fumo per ſyphonem ano

(*a*) Aphoriſ. X. Section. VII.

ano immiſſum conatus fui, ſed fruſtra, licet venter acriori ſtimulo irritaretur, vomitu quippe quaevis per anum injecta ibant ſuperius, hunc attamen compoſui ſequentibus, ac vini Gallici albi accepi uncias ſex, aquae communis quatuor, ſuccum unius pomi citri, ejusdem corticis parum, vitellos ovorum duos, ſacchari quantum ſatis, quae conquaſſata ac igni impoſita donec ebulliverint, cochleatim porrexi, quibus adſumptis dormivit ſat placide, meliusque ſeſe habuit, omnem itaque movi lapidem ad abdomen faecibus exonerandum, ac jam promptus flatu Tabacino inteſtina ſecundum extendere, deinde clyſma emolliens & carminans, immixto cathartico immittere, quum natura pharmaco potentior omni, hac luce, ſeptima morbi, ultro alvum exoneraverit, ac ab urgente diſcrimine fuerit vindicata martyr.

LEUCOPHLEGMATICUS INOPINATA CRISI ADSERTUS.

Quo majori ſedulitate, cum recentiorum, tum antiquitatis obſervationes revolvimus, eo majori admiratione adficimur, ac mortalium viciſſitudines experimur.

Puerulus octavum aetatis ſuae agens, Anno CIƆIƆCCXXXIX tumore circa claviculas & ſternum urgetur, quo rupto, pus aequale & concoctum funditur, ac faſce levatur; mox vero incidit in Leucophlegmatiam, cum totius faciei tumore, praecordiorum anxietate, niſu in vomitum, dolore cum hypochondriorum, tum abdominis, donec unica nocte, ſine praeviis indicibus, ſcrotum Oedema atque Hydrocelem contraxerit, ſequentium adſeclarum circumſiliente agmine, urinis nempe, habita earum quantitatis ratione, plus ſolito ponderoſis, praeſentis vel futurae tympanitidis non raro phoe-

phoenomeno, jam vero inſtar jumentorum ſecretis, iterum faeculenta materie, tandem particulis ſanguineis repletis. Infanda caeterum reſpirationis ſtipante difficultate, tuſſi ſuſpecta, labiis lividis, mali ominis equidem ſymptomatibus, quin immo brevi de vita actum fore praeſagientibus: ſubito vero detumeſcit ſcrotum, intumuere pedes, non ſine ſpe tyrannidem debellandi; ſed nunquam periculum ſine diſcrimine vincitur; ſera quippe veſpera corripitur animo linquens homuncio narium haemorrhagia, a (*a*) medicis in hujusmodi morbis non tantum metuenda; ſed hiſce haud raro (*b*) anſam praebente, ancipiti ad beſſem uſque, ſummo cum levamine, ut poſtridie ſcrotum priſtinum ſtatum, elaſticitatemque recuperaverit, decreſcente indies anxietate, tandemque reliquis compoſitis noxiis, abſque ullis mediis, cardiacis, fomento ſcrotum mitigante impoſito exceptis, victus ratione congrua critice convaluit puer, redemptus a vitiis dira minantibus, licet hic morbus *vehementi diarrhaea ſolvatur* potius (*c*), teſte Sene nec raro (*d*) *ei ſuperveniat hydrops* inexplebilis, nec arte domandus.

(*a*) Foreſt. Lib. VII. Sect. I. (*b*) Hippoc. praedictor. Lib. I. (*c*) Aphoriſ. XXIX. Sect. VII. (*d*) Aphoriſ. LXXIV. Sect. VII.

PARAPHRENITIS GELIDA CURATA.

Ut Phrenitis mentis emotionem denotat, ſic quoque a (*a*) Medicis delirium habetur perpetuum cum febre acuta, meningum inflammatione, vigiliis, furore, ſubinde riſu, aliisque, pro majori vel minori benignitate, aut cauſarum improbitate ſymptomatibus; ſi vero (*b*) diaphragma aeſtu fe-

(*a*) Caſtell. Renov.. (*b*) Fred. Dekkers exercit. & Petr. Foreſt. Lib. X. de Cerebr. Morb.

febrili ejusque foco incenditur, ſimulque cerebrum in conſenſum trahatur, Paraphrenitidis nomine ab iisdem dignoſcitur.

Hujus adfectus in viro quodam plurimum reverendo Eccleſiaſta labentis ſeculi trigeſimo ſeptimo anno, poſtquam ſemeſtri ſpatio Quartana laboraſſet, expertus ſum atrocitatatem, quam brevi tamen gelida compoſui.

Quoniam vero morbus cognitu difficilis ac maximopere periculoſus varia cum colica paſſione habeat, primo intuitu communia, eum urgentia praecaeteris tanquam, indices & criteria diagnoſtica praemittere ſymptomata congruum duco.

De lumborum queruntur ardore, abdominis circa umbilicumque dolore, niſu in vomitum, alvum exonerandi irrito conatu, flatuum crebra eructatione, ſed ſine fruge, ſonora; quamobrem hunc morbum non raro colicam autument, eique, huic paſſioni convenientibus, mederi ſtudeant, porro inquietudine, facie in flavum vergente pallida, oculis defoſſis & profundis, lingua arida, nonnunquam in ſummo vigore ſubfuſca lineola tincta, delirio, non vero perpetuo ac adeo gravi ut in phrenitide ipſa, febre caeteriſque ſtipatur malis, quorum catervam ſequente methodo ſedare auſpicatus ſum.

Ad aeſtum extinguendum ſaphaenam tundere juſſi, deinceps clysma, ex emollientibus, carminantibus & alvum ducentibus recto injici curavi, emulſionis ex hordeo mundato & ſeminibus quatuor frigidis majoribus, addito ſyrupo Altheae frequentem propinavi hauſtum. Parum equidem hiſce promovi, hinc luce ſequente alteram venae ſectionem, iterumque clyſmatibus abdomen foventibus munire imperavi, nec hiſce obtemperavit adfectus; tum decumbentem enixe rogavi, velletne larga doſi adſumere gelidam? placitumque tuli reſponſum, ea tamen lege, hoc de remedii genere, nec minus

de

de urgente diſcrimine morbi exercitatiſſimi Viri Hermanni Ooſterdyk Schacht Medicinae Practicae Profeſſoris Lugdunenſis in Batavis colligerem ſuffragium. Ut dictum factum eſt. Adflictum convenimus ambo examinamuſque, in praeſcripta inquirimus remedia, ac in iisdem perſeverandum ratum ducimus, quum repetiverim de gelida argumentum, nullus dubitans, quin hac tanquam ſacra anchora vindicaretur a noxia patiens, cui ſententiae ſuum album addidit calculum Profeſſor.

Tum gelidam adferri curatum, ac trium horarum intervallo lagenam duas libras cum dimidia continentem impiger evacuavit aeger, mox decrevere ſymptomata, prae caeteris lumborum ardor, ructus & anxietates, quin immo morbus, ſiniſtrum praeſagiens eventum [neutiquam vero omiſſa gelida] brevi fuit pacatus, ac facundiſſimus Myſta adſertus. Nihil vero ab omni parte beatum, poſt duas enim vel tres hebdomadas recidivam paſſus denuo meam imploravit opem, quam lubenter praeſtiti, nec praeter gelidam ſuccumque citri recentem praeſcripſi, iterumque virum integerrimum ob animi dotes magni aeſtimandum, ab altero vindicavi diſcrimine.

Quid aqua communis, ſed gelida pota in febribus ardentibus, inflammatione, morbis ab acredine & ſucco gaſtrico depravato valeat? deſiderantem erudiet, ejus *Virtutes medicas* docebit & tanquam panaceam extollet M. Smith. Quantum emolumenti volventis ſeculi anno decimo nono & vigeſimo ſeptimo febribus, e bile fluida oriundis, ceperint, teſtentur hoc morbo redempti. De aquae communis virtutibus (*a*) tractatum gallice conſcriptum legere non poenitebit.

(*a*) Les vertus Medicinales de l'eau commune, ou recueil &c. Melleures pieces, qui ont été écrites ſur cette matiere.

AB ADSUMPTO BORACE PERTINAX MORBUS.

Seplaſiarius petenti cuidam Cremoris Tartari expenderet uncias duas rogatus totidem Boracis Veneti porrexit inconſulto, quas Maria Waller decumbens, de qua nobis in praeſenti eſt ſermo, uncia ſemiſſe excepta, menſe Majo Anni CIↃIↃCCXXXIX hoc tempore agens vigeſimum adſumpſit, brevique uterinam paſſa fuit haemorrhagiam adeo vehementem, ut de virgine actum videretur. Fluxum compoſuere Medici, valetudinariam vero jam per biennium inſtaurando impares, nec equidem mirum! tantum quippe vivicantis laticis detrimentum ſimul ſemelque reddere, non eſt humanis opibus.

Morbi hiſtoriam, ejusque cataſtropham a me obſervatam tradere non poenitebit.

Miſeram pedibus, cruribus, feminibus, lumbisque oedematoſis, induratis obſeſſam offendi, quin immo a cubito manus eosdam pati manes. E quibus phoenomenis neutiquam fuit collectu difficile, quale quantumque ſanguinis damnum, ac vaſorum elaſticitatis circulationi adeo neceſſariae ſubierit? hac enim negata, quaelibet ſine pondere jacent inertia. Caeterum adficiebatur vix ferendo ventriculi dolore, ſimulac eſculenta, vel blandiſſima, tenuia, motui auſcultantia, ut Juſcula, Hordeum, Avenae mulſum, ſimiliaque nullo modo irritantia adſumpſerat; nec minori praecordiorum urgebatur anxietate, qua corporis motus aeger admodum vitam ſedentariam anhelans agebat, dum catamenia jam per quinque menſes ſuppreſſa nequaquam periodum ſervabant, urinarum ſecretiones praeternaturales, abſ-

abſque ulla concoctione, nubeculis, ſedimento, caeteriſque requiſitis foras eliminabantur, modo dilutae, leviterque mali Heſperici tinctae colore, mox nullo, ſed fontanae aut pluvialis utplurimum analogae, iterum inſtar jumentorum prodibant. Evidens motus progreſſivi in hoc torpente corpore perturbationis argumentum!

Qua frequente noxia haec graphica ac quondam boni habitus, plane deliquit, ac emaciata fuit, donec tandem ipſis Idubus menſis Aprilis anni labentis ſeculi quadrageſimi primi ei lateris dolor inflammatorius, comitante febre, & reſpirationis difficultate, pleuritidis ſymbolis, ſupervenerit.

Mediam mox juſſi tundere venam, quo lateris dolor pacatus, reſpiratio uberior, ac anxietas domeſtica levior, perſeverante febre, quam criſin morbi futuram habui, animadvertique, quoties eadem arſiſſet, ſeſe ſentire melius, hancque obſtructionibus ad pedes, crura, feminia, lumboſque deterere aliquid; quin imo decimo Calendarum Maji lumborum Oedema integerrime evanuiſſe, ac menſtrua olim ſufflaminata juſta copia, juſto colore, ac temporis intervallo legitimo promota.

En Candide Lector, quantum ipſe notavi, Miſellae hujus morbi hiſtoriam, quem pro meo modulo, ſalvo doctiſſimorum Practicorum, ac longiori experientia verſatorum, explicare conabor.

Ad quid certi de hoc morbo ſtatuendum, ſanguinis fluxum immodicum, nec non nimiam conſtrictionem cum ſyſtematis membranoſi, tum nervoſi totius corporis cenſeri cauſam autumo; Borax enim, uti rerum naturalium ſcriptores perhibent, Foſſile eſt, quod ſecundum Clariſſimum (*a*) H. Boerhavium *aqua ſolutum, colatumque in criſtallos abit, ad ignem ſuſile*

(*a*) Element. Chemiae & inſtitut. & experim. Chem.

fuſile in glebas primaticas ſurſum creſcit, ſaporis amaroſubdulcis. (*b*) Caeſius *chryſocollam ſeu Boracem juxta Plinium ex alumine foſſili, & ſale ammoniaco confici refert.* (*c*) Schroderus e *ſale ammoniaco, Nitro, Tartaroque calcinato, ſale communi, Gummi Arabico, Maſtiche & Alumine; urina ſolutis, inque ſalem coctis, Boracem componi.* (*d*) Alii aliam parandi chryſocollam exhibent methodum, quam apud Chymicos videre eſt, quos inter non deſunt, (*e*) qui Boracem ſtatuant ſarcophagum ignavum. Hunc ſive naturalem, ſeu factitium primae labis fuiſſe cauſam, partiumque tendinoſarum corroſionem ac ſummam conſtrictionem ventriculi patraſſe, quo minus ullis mediis ſimul & ſemel in priſtinum ſtatum redigendae, ſed ferrea patientia, quid dicam? Criſi inopinata, ac naturae operibus relaxandae fuerint, hujusque acredine elaterem membranarum ſtomachi, nervorum, vaſorum ſanguiferorum, urinarum ſecretoriorum fuiſſe turbatum, recitatamque tyrannidem in univerſa machina exercuiſſe, haud facile quis inficiabitur. Quid enim, quam juſta proportio & aequilibrium fluidorum ac ſolidorum perturbata, laeſa, aut ſufflaminata, tormentum majus? hinc illa anxietas praecordiorum, hinc illae obſtructiones oedematoſae in crure utroque, lumbis, feminibus, hinc illa lenta febris, quam demum exaltatam criticam ſperavimus merito, praecipue, quum anxietates, inquietudines, ac corporis anheloſi jactationes indies obſervavimus a modo decreviſſe, evaſiſſe minores.

Quomodo adſtringentia, queis viis purgantia ſanguini admiſceantur? hic labor, hoc opus: prae caeteris, quum negetur ab his, concedatur ab illis; priora quippe vaſorum lacteorum conſtringere non tantum, ſed penitus obturare ori-

(*b*) Mineralogia. (*c*) Pharmac. Medico Chirurg. (*d*) Idem Coeſius. (*e*) J. Schroder ontſlote Kabinet der Simplicien.

orificia, poſteriora motum periſtalticum inteſtinorum augentia equidem eadem ſalutando praeterire, qnod tamen ab omni cathartico evenire aegerrime adſentiendum confido; Rhabarbarum enim, licet purgans, per os adſumptum latici ſanguineo immiſceri animadvertimus perpetim, unde urinarum ac hujus radicis eadem tinctura? Niſi haec chylo admixta per primas vias, vaſa lactea, ductumque thoracicum ad ſanguinem ipſum permearet, eique colorem ſuum tribueret? urinae enim per renes colatae Rhabarbari tincturam ponunt ob oculos. Nec majorem, quomodo adſtringentia immiſceantur ſanguini, nauſeam movebit explicatio.

Alumen inter cauſtica, licet leviſſimum, haberi, haud facile quis negabit; attamen ſatis ſuperque aptum auſteritate ſua interiorem ſtomachi tunicam laedere, deinceps inteſtina tenuia eundem ab illo ducere livorem, praeſertim quum tanta quantitate, ac in praeſenti ſubjecto adſumptum, levem iiſdem inducere eſcharam, poſtea adfluxu humorum, cordis, arteriarumque motu ſeparandam, actus, qui nunquam non in qualibet plaga, in quolibet ulcere abſolvitur, niſi mediante ſuppuratione ſenſibili, aut ſeparatione lenta, vel vix obſervanda, qua equidem heterogeneum expellitur; ſed quoties obſervavimus exploſi puris, aut laticis quid per vaſa obſorbentia maſſae ſanguiniae immiſceri, ac cordis motu per totum corpus diſpergi? Unde enim cardialgiae in iis, qui Gangraena, Sphacelove laborant? Inſuper, quid veſicatoria capiti, pectori, feminibus, aut caeteris humanae machinae admota membris patrent, nos docet ſuperveniens dyſuria, qua non nulli tenentur, ſimul hoc topicum receperint. Quantum commodi Aſſae faetidae malus odor hyſtericis, bonus Ambrae Gryſeae adferat detrimenti? Qualem in utero tumentibus habeat efficaciam unguentum Arthanitae? Nullus medicorum non obſervavit. Quid virus Hydrophobicum

bicum canis rabidi morſu in corpore excitet humano? Quid pus varioloſum hujus, in leviuſculis vulneribus alterius inſertum producat, & quam ſit plantigerum? Harum (*f*) Byzantina inſitio docet luculenter. Quid pauca granula Boracis in partu difficili efficiant? experiuntur Practici indies; quae vel ſanguini immiſcentur, vel ſecundario uterinum ſyſtema nerveo membranoſum movent, irritant, tandemque partum promovent. Secundum (*g*) Philoſophum

Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.

Sin ſecus, non amplius inſto, ac credatis me duntaxat ſentiam, neutiquam vobis folium narrare Sibyllae.

Curam ſequenti modo auſpicatus ſum, ac Maſſae Pilularis hujus formulae indies ſeſqui ſcrupulum exhibui: recepi Gummi ammoniaci, opponacis ſingulorum ſcrupulos duos, Aſſae faetidae dragmam, ſaponis veneti ſcrupulos quatuor, Maſſae Pillularum faetidarum dragmam ſemiſſem, ſalis chalybis ſcrupulum, olei ſuccini guttulas viginti quinque, dum interim infuſionis herbae Theae atque lixivii fabarum Egyptiacarum vetaverim abuſum, largiorem vero cereviſiae Neomagenſis, atque frigidae communis aquae hauſtum, refrigerantia, fructus, ut fraga, ceraſa, ribeſia, prae caeteris vero cucumeres & melones, ſedulo commendaverim, nec aliquod medium, niſi urgente ſymptomate, praeſcripſi, unica ad ſtomachi dolores componendos mixtura flatus diſcutiente anodyna excepta, qua parum, dixerim nihil, promovi, donec ipſis Idubus Aprilis, quemadmodum notavi, in febrem & pleuritidem inciderit, hanc venae ſectione, decoctis emollientibus caeteriſque blandis pacavi, dum illi, equidem optatae, ac indies redeunti morem geſſi, nec ullis, quam

(*f*) A. Le Duc Diſſert. Medic. (*g*) L. Carus Lib. I. vſ. 305.

quam diluentibus, ac leniter ſudores moventibus ſuccurri, eamque tanquam criticam neutiquam turbavi, (*h*) nec *movi*, *ſed ſivi* ſecundum Hippocratem; quid enim medicamina tempore judicii morborum, praeter pauperiem inducant? Vel me reticente, norunt Medici; tandem me benignum ſpectatorem non actorem egi; ſed criſim expectavi, quam, manente febre, expertus tandem.

(*h*) Aphor. XX. Sect. 1.

HYDROCEPHALI OBSERVATIO.

Facundiſſimi ac doctiſſimi Viri Alberti Alberthomae ſacrorum Myſtae facundiſſimi Lugduni Batavorum Funeralia celebrandi cauſa, tumulus familiae loculis quondam repoſitis erat evacuandus; qua occaſione conſanguinei, ut plurimum, ſeſe ſtiſtunt, ut videant, quorum cineres ſuperſint, ac novis indigeant repoſitoriis: huic actui intereſſe me, unus illorum Petrus Sandra Medicinae Doctor rogavit, atque defunctae ſuae Sororis urnas effodere juſſit; *Hae continent*, (inquit) *amatae ſororis cineres*, *cujus cranium*, *ſi nondum tempore abſumptum*, *monſtrare tibi eſt animus*; hinc aperto conditorio ſequentia in eo notandi mihi praebuit facultatem. Molem ratione aetatis ſolito majorem, oſſium Bregmatum Frontiſque obliteratas ſuturas, circa fonticulum duo oſſa Wormianis, ut plurimum in Lamdoidaea ſincipitis cum occipitis oſſa conjungente reperiunda ſimillima, in parte occipitii ſiniſtri ſuperiore foramen in meninges pervium, animadverti; quorum phaenomenum cauſam ſequens narrabit hiſtoria.

Ambabus ulnis dum infantem, hoc tempore octimeſtrem, jo-

jocandi cauſa in altum tollit, ac reciproce demittit ancilla, tandem illius occiput in epiſtylium laquearis porticulae ingreſſum ornantis incutit. Compoſitis vociferationibus, contuſionem nullius momenti habuere parentes; altero vero menſe vix elapſo, filiolae inſipientiam, eam ingenii facultatibus orbam, ac inertem obſervaverunt, pedetentim augeri cranium, ſenſimque in hanc, quam exhibet archetypum, evaſiſſe (*a*) molem, adeo ut ſuccus nutritius caeteris corporis partibus negatus, ſoli capiti proſpicere ſtuduerit; interim nulla non in auxilium vocata, abſque fruge tamen: vixit in annum nativitatis ſuae decimum quartum, quo temporis intervallo ne latum adcreverat unguem, ac poſt fata hanc nobis reliquerit hiſtoriam.

Libera ſi dentur ſuffragia, & a poſteriori ratiociniis locus, non male conſultum; ſed e re, contuſionem funditus reſecandam, ſtagnantem laticem evacuandum, ab ejus impetu meninges vindicandas fuiſſe, judicarem.

Tabula Secunda.

A. Prae ſe fert Cranium frontali ſagittalique orbum ſutura, inſtructum tantummodo

B. Coronali.

C. Oſſicula vulgo Triangularia dicta inter oſſa bregmatis ac frontis, ut plurimum in ſutura lamdoidea reperiunda.

D. Foramen ab ictu in Epiſtylium receptum, morbique primam labem.

(*a*) Tabula II.

ALVI

TAB: II.



F. v. Mieris delin.

J. v. d. Spyk Sculps.

ALVI PER TRES FERE MENSES ADSTRICTAE HISTORIA.

Quot capita tot ſenſus, quot homines, tot adſpectuum diſcrimina, horum enim ſummum & perfectiſſimum Numen nulla confecit apographa, proprium vero, quo ab alio, vel ſimillimo dignoſceretur, ſuum unicuique tribuit, quo non minus animi ſenſu, quam corpore automatico differat; hinc corporis motus rationem ejusque cauſas certo explicare, Phyſicotheoreticis moleſtiam, cuilibet morbo mederi Practicis nauſeam parit. Huic alvus a nativitate conſtipata, illi laxa, alteri difficile, nonnullis ſolvitur facile, *Quibus, dum ſunt juvenes, alvi ſunt humidae, iis ſeneſcentibus ſiccantur, & vice verſa.* Secundum (*a*) Senem. Alii morbo urgentur utroque.

Magdalena de Ridder uſque in annum ſuae aetatis vigeſimum quintum vixit ſatis vegete, hac vero tranſacta puerperioque foecunda, ipſi paulatim conſtipabatur alvus, qua de re eandem ſaepius catharticis ſolvere cogebatur, impoſterum vero [conſuetudo enim altera natura] parum juvantibus, adeo laboravit adſtricta, ut ſubinde per menſem & ulterius quaelibet retinuerit, indies augente malo, nec unquam, niſi critica ſuperveniente acri diarrhaea, ventrem exoneraret, hac vero compoſita, ſeſe melius habuit; ſimulac vero abdomen ingeſtis oppletum fuerat, in eandem incidit Scyllam, donec ſolito judicio ab onuſto ventre vindicaretur, in quo ſtatu perſeveratum eſt uſque in annum currentis ſeculi quadrageſimum, ſuae aetatis octogeſimum quartum,

(*a*) Aphoriſmo XX. Sectionis II.

tum, quo ſeptem hebdomadum ſpatio neutiquam ſatisfecerit naturae, ac propterea conſilium medicum petiverit.

Vetulam accedens vario cum morbo luctantem, praeprimis haemorrhoidibus, alterutrius lateris hemiplegia, ad crus inferius ulcere phagedaenio, oſſium ſacri ac coxendicis necroſi, ventre tumido, querelis & abdominis infandis torminibus miſeram ſtipantibus, omnium vero periculoſiſſimo, decrepita hac ſenectute, morbo laborantem offendi.

Quo verſanti in diſcrimine clyſterem emollientem, carminantem, alvumque ducentem ano injici, mixturam flatus diſcutientem anodynam propinari curavi, retinuit abſque ulla fruge priorem, poſteriore parum promovimus, utcunque tamen cruciatus mitigavimus, cauſa vitii neutiquam cedente, quae dira conſtitit ad duodecimam hebdomadem diemque ſequentem, quo vitae fixus fuit terminus. Sed quae hiſce devincendis paria? quid non in ſenectute delinquit? quo morborum enim agmine non circumſiliuntur decrepiti, quorum ſolidorum fluidorumque turbatur aequilibrium, donec, elaſtica ſilente facultate, humorum impedita ſecretione, oeconomia animali languente, brevi ſiderationes, tandem rumpatur ſtamen Parca tenaci, miſeris equidem benigna!

URINARUM SUPPRESSIOINIS STUPENDUM EXEMPLUM.

Quam inauditum ac a praxi remotum alvi adſtrictae adeo diuturnae mox recitatum videatur exemplum, non minori admiratione lectorem praeſens adficiet obſervatio, quomodo, abhinc undecim annos quartana laborans, variis interim obnoxia ſymptomatibus, tertio Calen-

lendarum octobris anni volventis CIↃIↃCCXL, quum caſum hunc medicis tranſmittebam annalibus, equidem practicorum animadverſione digniſſimum, nullas per loca convenientia quindecim menſium intervallo exoneraverat urinas.

Anno vigeſimo currentis ſeculi nono Virgo ingenua tum temporis aetatis ſuae vigeſimo tertio corripitur febre quartana, quam ut inconſulto, ut temere pulveribus antifebrilibus [procul dubio e corticibus Peruvianis] a Pharmacopoeo paratis ſuppreſſit, quies a febre, non a morbo redempta; deinceps quippe ſeſe pejus habuit, ac evaſit valetudinaria, donec tandem ejus ſiniſtrum inſigni tumore extolleretur latus, quo rupto, puris maderet copia, non ſine adflicti corporis ſumma debilitate; Naturae vero prodigioſa facultate ab anguſtiſſimo hoc empyemate adſerta fuit, neutiquam vero a febre vindicata, quae ſuis periodis eandem concomitabatur. Nec dum ſuccubuit tamen; alter quippe, habita loci proportione, nec praecedente minoris momenti ſeſe repente ſiſtitit tumor circa collum, qui coctus ad maturitatemque ductus vim purulentae materiei evomuit. Hiſce voraginibus, nec non continua febre, quartana nondum pacata, ineffabilem virium perpeſſa eſt jacturam, adeoque fuit exhauſta, ut vix ulla verba adeo articulate proferre valeret, quin alterius ſi ſentiret auris, ipſius ori admovere cogeretur eandem.

Hanc nihiloſecius evaſit Charibdim, ſed Eheu! quam bona vicina malis! mox enim in alteram incidit Scyllam, urinarum ſuppreſſionem, quas pedetentim ſolito minori copia evacuaverit, tandem per ſeptem menſium ſpatium nullas reddiderit, tumque Clariſſimi Medici Hermanni Ooſterdyk Schacht, Lugdunenſis praxeos Profeſſoris, meumque auxilium labentis anni Menſe Februarii petiverit. Quo temporis intervallo in hunc uſque diem per quindecim menſes ne guttu-

 lam

lam lotii excreverat, abſque ulla tamen lumborum regionis inflatione, abdominis tumore, ullove in matulam niſu. His inſuper Sextili jam jam praeterito quaquaverſum per corpus ei maculae rubellae, in medio punctis nigris notatae diffuſae, brevique, uti ab hinc biennium, diſcuſſae fuerunt.

Tanta morborum ac aerumnarum circumcincta iliade praeter ſpem ac familiarium expectationem, indies circa primam veſperam, licet & quarta die, ut quondam, febre caleat, rectius valet, ac neutiquam emaciata, quamvis madeat ſudore, quem naturae beneficio urinarum ſecretionis vices gerere autumo, quaelibet enim liquida, parca doſi adſumpta retinet, febrili vero ſuperveniente paroxyſmo, eadem plus ſolito ſitibunda evomit, ingeſta vero digerit, ac ſecundum ordinem foras eliminat, menſibus interim legitime profluentibus; caeterum recto vultu, menteque utitur, quin immo ut propriis, ut aliorum facetiis, praeprimis arte oblectatur pictoria, monituque delectiſſimae ſuae Sororis, quid valuerit verſavit, e lecto ſurrexit, ſemel iterumque coenaculum obambulavit, corpus longa quiete tardum morboque fractum occepit movere.

Phoenomenum mehercule Medicorum memoria, faſtiſque digniſſimum! explicatu difficillimum, quomodo corporis tanto malorum agmine ſtipati machinae ſuo fungantur munere, liquidorum ſeparationes, urinarum exceptis, promoveant? quum unus & alter tumor, prae conſpicua puris evacuatione, easdem peſſundando, vel ipſa quartana hydropem inducendo plus quam pares fuerint. Quomodo materies urinis dicata inuſitato quodam naturae ordine a ſuo proprio diverticulo, [conjecerim propter frequentem ſudorem, criticam evacuationem patrantem, per poros totius corporis, non renes nec veſicam] evacuetur? Tandem quomodo natura valetudinariae proſpiciat, eamque Marasmo ac Hydro-

drope, ſequelis hujusmodi adfectibus caeteroquin familiaribus, conſervet immunem? Quorſum evadat? Qualemque haec diuturna urinarum ſuppreſſio, quae adhucdum in praeſenti ac in tertium annum perſeverat, maneat cataſtropham, veloci cedendum eſt tempori nuntio veri.

PES TRIPODIS PUERULO IN CANTHO OCULI MINORI CASU INFIXUS.

Quem mirum in modum nunquam non animi candore adoranda, pura mente colenda ſummi Numinis providentia a diſcrimine, & evidente periculo, nulla arte praecavendo, ſervet & adſerat mortales, ſequens teſtatur obſervatio.

Labentis ſeculi Anno cIↃIↃccxxx quinquennis puerulus ab ora per ſuperiora in ſentinae tabulata, vel fundum navigii, quo parentes eius vaſa fictilia Lugduni Batavorum nundinabantur, incidit, ſibique unum de tripodis pedem in canthum oculi minorem juxta adnatam membranam impegit, adeo profunde orbitae oculi inhaerentem, ut faber ferrarius in ea vicinia degens ac fortuito huic caſui ſuperveniens vix evellere valuerit, cura tamen & ſtudio, ne ſimul tripodis pedem extrahendo, ei annexo unco in angulum rectum reflexo, oculum orbita ſua expelleret, hoc ponderoſo faſce quam prudentiſſime ac feliciſſime levavit miſellum: quem mox haemorrhagia, inflammatio, ingens faciei tumor, febris, deliria invaſerunt, ad quae mitiganda venam pertundere juſſi, inflammationi reſiſtentibus, refrigerantibus & blandis medicaminibus proſpexi vulnerato, curante Chirurgo Mattheo Loo externe curanda: ſymptomatibus tandem

compoſitis, unius menſis ſpatio, abſque ullo cicatricis veſtigio, oculi machina ejuſque munere integerrime ſuperſtite, ſummum diſcrimen eluctatus eſt puer.

ASELLI LACTES NEC OMNIBUS CONVENIUNT.

Mytilorum paſtu quosdam ſaepius detrimentum cepiſſe, noſtratum nemini non notum eſt; Aſelli lactes vero alicui nocuiſſe [quantum mihi innotuerit] nullus obſervavit, has nihilominus non omnibus convenire, praeſens docebit hiſtoria.

Pridie Iduum Decembris Anni hujus ſeculi CIↃIↃCCXXXIX in alicujus noſtrae reipublicae viri conſpicui praedio ad medium itineris Lugduno Batavorum in Hagam Comitis coenaturis, prae caetero paratu, Aſelli adponuntur lactes, quarum aliquot lobos alicui diſcumbentium mihi oppoſitae quum porrexeram, illaque eosdem comediſſet, mox de palati, tonſillarum & oeſophagi ardore moleſto, haud ſecus, ac ſi contriti piperis largam adſumpſiſſet doſin, conqueritur. Partes oris examinans inflammatione quaquaverſum laeſas, palatum variegatum offendi; vix huic operi me accinxeram, quin convivarum alter, jam jam adflictae maritus, ſe eodem urgeri vitio, gingivas non minus ac genas intus comburi fatetur. Utrique os & fauces abluere, crebrumque cereviſiae Neomagenſis hauſtum commendo, cujus beneficio acris per unam ac alteram horam gulae inhaerens materies [dixerim virus] qua tamen reliqui immunes, fuerit diluta.

Phoenomenum primo intuitu divinatu equidem difficile! ſi enim hae lactes ſpecificum tenuiſſent venenum, earum ur-

tica

tica haud intacti omnes diſcrimen evaſiſſemus; quamobrem earum reliquias nondum coctas examini ſubjeci, oculoque, diſſectis loborum membranulis, aliquid lactis indagare ſtudui armato; varias in eo flaveſcentes, vermibus terreſtribus haud diſſimiles, offendi lineas; repetii experimentum plus ſemel, atque easdem jam frequentes, iterum raras, tertium nullas reperiri animadverti: hinc collegi, ſi harum cauſa fuerint virulentae [quod dirimere non auſim] illis lactes hiſce lineis ſaturas, nobis ab omni vacuas obtigiſſe; ſin ſecus, eventus cauſam [ſalvo meliori calculo] non ferculi toxico, ſed edentium ſalivae aut ſucci gaſtrici diſcrimini imputandam: praecipue quum eundem effectum ab oculis cancrorum raro alicui nocentibus, perinde ac a mytilis ſic dictis venenatis productum, ardorem ventriculi, alvumque adſtrictam a bulbocaſtanis & Caſtaneis illis, hiſce vero ventrem ſolvi, experti fuerint Practici. Qua de cauſa, non omnem praecordiorum anxietatem, tenſionem, nec non in corpore maculas eſui muſculorum marinorum, ſed variis in vario corpore ſuccis menſtruis ſubinde attribuendas conjicio, ac ſequenti exemplo adſtruo.

Familiarium mihi quiſpiam convivio cum intereſſet frequenti, ac mytilos comediſſet, mox recitata ſymptomata, a quibus eundem brevi vindicavi, perpeſſus fuit; haud diu poſtea ab eodem convivatore meridiatum rogatus iiſdem veſcitur, iterumque iiſdem adfligitur noxiis, quasque tertium fuit expertus, quolibet diſcumbentium horum vitiis immuni.

Hujusmodi caſus edentis liquidorum vitiis nunquam non adſcribendos, equidem inficior; quum noverim inter familiares alterum, qui mihi retulit, ab hoc cibi genere jam nihil cepiſſe detrimenti, iterum illud ſibi conſuetam induxiſſe pauperiem, quam ab iis ad Flandriae littora natis neutiquam fuerat ex-

per-

pertus, quin immo in Flandria atque Brabantia prodigio adeo parem, ac noſtratibus familiarem haberi; noſtro autem quos fundo editos ſtigmate circa medium, quod corculum [potius pedem, quo ſe movet mytilus] appellant, rubello notatos peſſimae, hoc immunes optimae notae ac indolis eſſe; quamobrem quaeritur, num adagii, *unum Oculo*, *alterum Manu*, *tertium Dente*, *primum Oculo*, *deinde Manu*; ne nimis avide ab adpetentibus, ſed anxie examinati devorentur, *tandem Dente*, ſit potioris explicationis?

PRODIGIOSA LUPIA.

Quod ſemel ſuas egit radices creſcit vegetabile, tumor corpori praeter naturam ſuperveniens auctis vaſis, non minus capit augmentum, creſcit eundo indies magisque mole ponderoſus, donec tandem proprio Marte contentam materiem naturae beneficio reſpuat vel arte medica turbetur.

Inter tumores otioſos vel chronicos Atheroma, Steatoma, Meliceris, Varix, Aneuriſma, Ganglyon, Sarcoma, Teſtudo, Talpa, Lupia quocunque loco primas tenent; qui niſi in ſua geneſi ſuffocentur, comprimantur, aut reſecentur, ſe ſe in immenſum, hominis cum ſummo detrimento extollunt; augeri enim commune eſt vitium omnibus: haud ſecus, ac prae laboribus continuis, callus, in delicatis albae gallinae filiis vix percipiendus, vel opificis, qua malleum agit, dextra manus ſiniſtra major, fortiorque obſervatur.

Quorſum tumores ſeſe extendant apud auctores videre eſt. (*a*) Schultetus Meliceridis quindecim vel ſedecim librarum jux-

(*a*) Armam. Chir. Obſerv. XLVI.

juxta ipſius ac aliorum calculum meminit, febre, terrore extirpationis excitata, prorſus abſumptae. (*b*) Bidlous, tumorem obſtricta cervice, qua ex inguine penderet humano Capite majorem ſuſtuliſſe teſtatur: tandem quouſque effraenata tumorum vergat luxaria, me reticente, norunt Chironis alumni.

Anno CIↃIↃCCXXXVI licuit mihi videre a prima fronte tumorem anomalum, puero ſeptenni ab occipitio uſque in ſcapulas poſtice, alterum ab aure muſculum Deltoidem humeralem transgreſſum, pendulum, & a cauſa ſequente productum; hujus mater utero gerens ultimo geſtationis menſe ob rixas, & mutuas altercationes ab irato marito in terram proſtrata circa collum & nucham calcem recepit, cui mox echymoſis ſupervenit, hinc puerulo prima labes mali; nam enixo haec non ſecus ac matri inhaerebat, evanuit tamen; pedetentim vero integumenta corporis eo loci expandebantur, tractu temporis conſpicua in gibbum ab occipite in ſcapulas, ab aure dextra in humerum deſcendentem increverunt, donec adflictus diutius ferendo impar, & gibbo deformatus utroque, variorum conſilia petiit. Quibusdam e re tumorem linquendum conſultum videbatur. Tandem Lugdunum Batavorum profectus una cum patre & Chirurgo, meum auxilium imploravit, ſimulque animi ſententiam aperirem. Partibus rite examinatis experiebar laticem ſub membrana muſculorum communi latitare, eamque ab epidermide & ei ſubjecta cute liberrimam, hinc, eum eſſe evacuandum parando Setaceo, vel Scalpello quantocius, renuncio; ne vero quid temere agerem, tumorem Clariſſimo Hermanno Ooſterdyk Schacht inſpiciendum & examinandum exhibui, qui ſententiae meae album addidit culculum, ac poſticus acu, humeralis ſcalpello reſectus eſt tumor, miſſo lati-

(*b*) Decad. I. Exercitat. VIII.

latice, quo turgebat unus & alter a ſe invicem ſeparati, eosdem Lupias obſervavimus, a quibus vindicatus miſellus, utroque gibbo deformis, ut qui primo capite prono terram intueretur, in poſterum erectos tollat ad ſidera vultus.

STEATOMATIS AD MEDIUM CRURALIS ARTERIAE INTERNAE IN FEMORE CAESURA.

Tumores chronici, niſi adfluxu humorum inflammentur, vel infortunio laedantur, licet raro agreſtem agant, aut ſuo genio in abſceſſum degenerent, nihilominus ſubinde non levem Medicis nauſeam movent, praecipue quum locos, ſub quibus conſpicua arteria, vel inopinatus latuerit nervus, amplo occupent pedunculo, aut horum materiem continens folliculus integumentis corporis communibus pertinaciter adhaereat. Termini! quibus utcunque cedendum: pedunculo enim adeo auguſto arteriae incumbenti injicere vinculum, eoque conſtricto exſtirpationem ſuſcipere, maximum infligeretur vulnus, eique horrenda ſuperveniret haemorrhagia. Adnatum integumentis tumorem ſua cum membrana integerrime eximere Chirurgia nequit, hinc in hujusmodi extremis medium tenere conſultum.

Carminator Lugdunenſis, juvenis navi noſtrae Reipublicae inſerviens praeſidiariae, ſibi tuberculum ad feminis interni medium arteriae Crureae incumbens adſcivit, quod tractu temporis ad pugni virilis magnitudinem cum admodum amplo excrevit pedunculo, quod adflicto inceſſum mo-

moleſtum induxit, deinceps negavit, ac ſeſe Steatoma ſeu Sevationem renunciavit.

Chirurgo in auxilium vocato hujus ſeculi anno trigeſimo ſeptimo, animi ſenſum roganti aperui, nec praeter tumorem recta linea ſecandum, & materiam evacuandam retuli: tumorem, injecto vinculo enim auferre locus ac ſubjacens vetuit arteria, quae, hoc ſuo faſce ſimul & ſemel levata in Aneuriſma ipſo vitio pejus, prona fuiſſet, ac eventu ſiniſtro luliſſit operam, quapropter recitato modo eundem gladiolo utrinque acuto, ſolito longiori in hunc finem concinnato ſecuimus, adipoſa materia evacuata ad libram circiter, inflicti vulneris labiis a ſe invicem ſejunctis, eorum cavum linteamento raſili, ac Gypſo ſtiptico implevimus, perque biduum reliquimus: quo lapſo, faſciis, ligaturis caeteriſque remotis, recentis ulceris fundo mercurium praecipitatum rubellum larga inſperſimus manu, deinde alterutrum integumenti percuſſi forfice a continuo reſecuimus ſegmen, alterum fruſtum reſpiciens ſuperius poſtea tulimus eadem, plagis neceſſariis proſpeximus, ulcusque plumaceolis & faſciis decocto ligni Guajaci, corticum Quercinorum, Roſarum rubrarum, & vino rubello auſtero ſaturis curatum ſuſcepimus, hominemque a noxia funditus vindicatum abſque ullo ſymptomate adſeruimus.

Hanc extirpandi methodum omnibus haud placere propter majorem adparatum, confido; quia Chirurgia promptiſſimam exigit encheireſin, habita tamen ratione tumoris, loci, & ſubjacentis arteriae, quae laeſa decumbentem certae tradidiſſet neci, vel ejus reſiſtentiae momento eandem coërcente remoto ſimul & ſemel, poſtea in Aneuriſma evaſiſſet, eandem auſui temerario praeferent, qui magis adflictorum vitae commodo, quam ſuae ſtudent dexteritati, nec unquam Atheroma ſeu pultis, Melicerides mellis aemulam continentes

materiam, a qua nomenclaturas mutuantur, ſi vaſa ſanguifera obſtent operanti, rectius tentabunt, melius quippe certo, licet tarde, quam cito, ſed ambigue quamlibet auſpicari operationem, mederi enim adflictis ſuprema lex eſt.

Eodem plane modo mecumque operante eodem Chirurgo Simone Touſaint ſupercilio ſiniſtro ad canthum oculi minorem inhaerentem, palpebraeque moleſtam per medium ſecuimus Meliceridem ejuſque materiem melliformem ſua membrana evacuavimus, ac duobus de viginti diebus inflictum vulnuſculum, pollicem circiter longum, cicatrice obteximus.

Trifariam hoc tumorum genus a Medico Chirurgis ut plurimum curatum ſuſcipitur. Vel cruciforme integumentorum caeſura tumorem cum folliculo materiam continente integerrime eruendo, ac equidem recte hac methodo abſolvitur opus, modo ſit volubilis ac liber, nec, radice excepta, adhaereat adjacentibus firmiter partibus, quae enim ipſi adnatae tumori una cum eodem reſecandae. Latiorem vero occupantem locum pedunculoque carentem pertundere radicetenus oportet & convenit, cui aperto labiiſque a ſe invicem ſeparatis, medicina haud difficilis. Qui actus poſtremus Meliceridi ac Atheromati ob melli-pultique formem materiam fluidiorem caeterae praeferendus encheireſi.

Non minorem, quam arteria, adfert nervus inopinatus operanti moleſtiam, ac merito incutit terrorem, quem admodum anno labentis ſeculi trigeſimo octavo Bernardus Schepers Chirurgus, apud Lugdunenſes ſolertiſſimus mecum fuit expertus.

Juvenis licet, dexter tamen & artis peritus Chirurgus monitu Clariſſimi Medicinae Profeſſoris Hermanni Boerhavii ſcirroſum Virgini e mammella ſecuerat tumorem, eique requiſitis quibuslibet ad normam proſpexerat, vix vero pedem mo-

moverat de limine, quin tanta ſupervenit haemorrhagia cum mammellae inflatione, dolore neutiquam ferendo, pulſuque in parte laeſa adeo horrendo, ut ſubleſtus recitati Chirurgi, meamque deſideraverit opem: Sanguine madentem examinamus virginem, ac mammellam mirum in modum offendimus expanſam, quamobrem ligaturam cum caetero paratu eandem urgentem ſolvere, plagam ſolo linteamento raſili Gypſoque ſtyptico munire, volaque alicujus adſtantium manus teneri, ratum duximus, quo paulatim ſymptoma, primo intuitu metuendum, decrevit, mammella detumuit priſtinamque molem biduo, virgo propediem recuperavit valetudinem.

Hujus phaenomeni cauſam ramuli alicujus nervi laeſioni attribuendam a poſteriori conjecimus; quae enim ſauciati nervi ramuli patrent ſymptomata? animadvertimus in tendinis, aut nervi punctura, qua brevi non tantum pars adflicta, ſed ipſa ſyncera mox trahitur in conſenſum, maximopere expanditur ac inflammatur, donec vel requiſitis cedat mediis, vel criticis judicetur abſceſſibus, aut in ipſam degeneret Gangraenam lethiferam.

Quanta arteriae elateris in ſanguine protrudendo efficacia, quanta cordis muſculorum punctura acceleratio, tandem quanta menyngum oſcillatio caeteris praevalentior, (*a*) Georgii Baglivii experimentum pertuſae crureae arteriae in utroque cane, quorum huic aperto thorace cordis fibras, illi menynges cranio denudatas pupugit aculeo, obſervatum teſtabitur; quales motus corpori convulſio & inſultus Epileptici inferant, quis ignorat?

(*a*) De Fibra motrice ſpecimen Lib. I.

PERTUSAE CALVARIAE CURA.

Vulnera capitis periculoſa, graviora ſummo diſcrimini obnoxia, graviſſima vero cum oſſe fracto, cerebri & menyngum ſubjecta ſuppellectile laeſa ſaepius eſſe lethifera, Antiquitas & ſubſequentium practicorum obſervationes teſtantur abunde; ut vulneratus, ſymptomatibus, graviſſimum capitis vulnus concomitantibus ſtipatus, in tutum evadens nigro ſimillimus habeatur cygno.

Inter conſcriptas obſervationes Godofridi Bidloi quondam in Academia Lugdunenſi Batavorum Medicinae, & Anatomes Profeſſoris ſequentem hiſce inſerere non incongruum duco; qua conſtat, horrenda quoque Vulnera Calvariae, ejusque oſſibus inflicta, cum natura, tum ſedulitate artificis Chirurgi, raro licet! ſanari equidem.

Anni cIɔIɔcxcv menſe Junio, celeberrima in expugnatione urbis Namurci, Pedeſtrium Copiarum Praefecti ſtrenuiſſimi De Dedem Miles annos viginti tres agens, corpore validus acinacis in ſiniſtro Bregmate ictu, cum frequenti cranii fractura, vulnus recepit, nec non durae piaeque matris laeſione inſigni, viſu horrendum; quo mox corripitur Hemiplegia, caecitate, ſurditate, febrique vehemente. Illico nave, una cum caeteris vulneratis, duce Ellinkhuizio Chirurgo Hujum vehitur, urbem obſeſſam inter ad medium itineris & Leodium, collocaturque in Ordinum Foederatorum Belgii Noſocomium caſtrenſe.

Medicorum ac Chirurgorum Coryphaei Bartholomeus & Bireus, explorato vulnere lethifere aegrotantem intuentes hoſpi-

hoſpitem, nil niſi funeſta vaticinantur, quin immo jam ſupremum in labiis agitari ſpiritum adſerunt: curae committitur Wilhelmi Ellinkhuzii, Lugduni Batavorum quondam incolae, ac Chirurgi, qui, de vulnere exemptis octo cranii fragmentis, ſeparataque multo cum puris latice menynge a decimo infortunii die, quotidie cerebrum, quicquid moliretur in contrarium, in ingentem pullulaſcere fungum obſervat.

Ne itaque, incaſſum plura tentando, aegrum vitae exponat periculo; conſtant, manent, perſeverant enim hemeplegia, viſus obcaecatio, ſurditas, febris, extenuantur vires, mentiſque reliquiae; cultro pugni magnitudinis luxurioſum reſecat aegro fungum, curatque curanda ſedulo; ſed quis huic actui audacior exitus, & cataſtropha! decreſcunt mox, & indies omnia ſymptomata, ut menſe Octobri, quatuor menſium intervallo in priſtinam proſperamque valetudinem reſtitutus, ſalvus ad ſuos reverteretur.

Variis interne adhibendis uſus eſt medicamentis, nulla enimvero venae ſectione. Similes ſe eodem modo excepiſſe & feliceter curaſſe fungos, quin imo quatuor unciarum teſtatus quondam eſt Chirurgus Wilhelmus Ellinkhuizius, addidit, & ſubmonuit Profeſſor, caveant Chirurgi hujusmodi fungos ullis mediis eſcaroticis, corrodentibus, vel ipſo actuali cauterio tentent, irritando enim aegris diem fatalem accelerari edoctus. Huic ſimilem caſum vide apud (*a*) Fabritium Hildanum, nec non (*b*) virum Conſularem Tulpium, ut & (*c*) Johannem Schultetum.

(*a*) Centur. I. Obſerv. xv. (*b*) Lib. I. Obſerv. I. (*c*) Armam. Chir. Obſ. xix.

SCLO-

SCLOPETO INFLICTUM VULNUS MEMORABILE.

Inter vulnera fiſtulis ignivomis inflicta, ſequens, propter partes a glande plumbea laeſas, vitae adeo neceſſarias, tanquam raro contingens referre lubet.

Miles quidam gregarius in conflictu quodam noviſſimi Belli contra Gallos & Hiſpanos a Foederatis geſti, glandem ſub cartilagine ſcutiforme, annulos Laringis omnimodo abrumpentem, ac Oeſophagum ad medium ſui diametri turpiter ſauciantem recepit, qua in poſterum deglutitione integerrime orbaretur. Convaluit homo, vulnuſque, neutiquam licet e voto carne oppletum, nec mirum! *Ubi diſſectum fuerit os, aut cartilago, aut nervus, neque augetur neque coaleſcit* ſecundum (*a*) Hippocratem, fuit attamen ſanatum, ne quid puris evomeret amplius.

Variis, vitae ſuſtentandae cauſa, ſe viſum obtulit Miles, ut & mihi. Hiatum ſub mento ad collum ſuperius examinavi, laringem ſub cartilagine ſcutiformi penitus abſciſſam, Oeſophagum extus conniventem, ac liquida recipiendo, queis corpus nutriretur offendi ſufficientem, expertuſque, quo modo infelix infundibuli ope panem, caeteraque eſculenta minutiſſime contrita quolibet mixta vehiculo, tanquam per imbricem ad communem cloacam, ventriculum puta, [nulla quippe quam hac ſemita, quaevis enim per os ad ſumta mox foras pellebantur,] reciperet, hinc ante diem torpente palato non eadem vini cibique gaudia Militi, ac Tantalo fugientia poma.

(*a*) Aphor. XIX. Section. VI.

PUN-

PUDENDAGRAE CURA.

Ut quondam Romae penitus incognitus (*a*) Morbus Tiberii Claudii Caeſaris temporibus viguit Mentagra, ſic nuper Batavos ſua urtica tetigit Mentulagra Nepotes, proavorum abavis hoſpes & morbus plane Barbarus, nunc vitioſiori progeniei vah cognita lues! commercium hoc habet in ſe, quod extraneorum morbos non minus quam merces referat. Hinc tot ubique pudendagrae medendi cauſa occurras Aliptis, tot Barbitonſoribus, tot a ponte Satellitibus, ut horum par ſit menſura ex (*b*) Ægypto Romam Mentagram curatum advenientium Medicorum numero, & merito ſtupeas, jacere cadavere toto Nonarias, integros aut Veneris Heroum recondi cineres urnis!

Mulier quaedam a Mentulagra laborante ſuo marito [uti fatebatur] maculata ſibi Gonorrhoeam adſcivit, Stranguria, dolore & pudendorum adſeclis, quibus urgentibus medicam manum opemque imploravit. Hac viſa, ac parte laeſa rite examinata mediam pertundere venam juſſi eamque mox cathartico purgavi, vulvae ſaepius abſtergente injecto. Quibus praemiſſis peſſarium in hunc finem concinnatum unguento pomato leviter auripigmento ſaturo inunctum in muliebrem ſinum immitti curavi, ut quaquaverſum rugae ac lacunae a gonorrhoea infectae oblinirentur, quo remoto medicaminis efficaciam praeſtolabar, donec viderim ulcera coërcita, purgata & intra octiduum ſanata, nec quid puris vel ſorditiei prorſus eructantia, mulierem dolore, caeterisque ſymptomatibus levatam.

Nae

(*a*) C. Plinii Secund. Naturalis Hiſtoriae Lib. XXVI. Cap. 1.
(*b*) Idem ejusdem Lib. Capit. eodem.

F

Nae hoc remedii genus caute adfectui admovendum, nec ei fidendum; parca enim manu, ut efficax cauſticum adhibendum, ne Veſicae ſuperius Vulvae incumbenti, Urethrae, Nymphis vel Clitoridi inducat pauperiem; idcirco virili meatui urinario, caeteris ut ſtructurae, ſic quoque ſenſus exquiſitioris, vel candelis, vel ſtylis, vel quovis modo neutiquam ingerendum. Hunc ſufficit, ad evacuandum virus e lacunis in eo ſeſe ſiſtentibus, abluere, quo virulenta materies membrum virile intus infeſtans mitigetur, corrigatur, & morbi focus extinguatur. Cui indicato injectio inflammationi reſiſtens ex aqua Roſarum, Plantaginis, aut communis, additis melle Roſarum rubrarum & ſaccharo Saturni ſatisfacit; revellente ſubinde cathartico purgato corpore, quin immo urgente neceſſitate, ſanguine miſſo.

Conducit gonorrhoeae unica praeſcripti injectio plus omnibus diureticis, quondam tanti aeſtimatis, haec equidem conveniunt, ſint modo blanda, diluentia, nec partis adfectae fibrarum craſin laxantia! quaevis illorum attamen ad morbi cauſam tollendam nimium ignava; nam materia per penem evacuanda haerens in foraminulis, ſeu lacunis ab Anatomico (*c*) Johanne Baptiſta Morgagno, (*d*) Laurentio Terraneo, nec non (*e*) Cockburnio, in urinario virili meatu, veriſſima hujus vitii ſede detectis, horum medio non expellitur, tranſit quippe foveas, quae foras, non intus connivent, abſque fruge; quapropter, ſi ulceribus onuſtae purgandae, purgentur per injectiones, a Neotericis & praecedente ſeculo recte a (*f*) l'Emery praeceptas.

(*c*) Adverſaria Anatomica. (*d*) De Glandulis univerſim & ſpeciatim ad urethram virilem. (*e*) The Sympt. Natur. Cauſ. and Cure of a Gonorrhoea. (*f*) Cours de Chymie.

FRAG-

FRAGMENTI OSSIS FRONTIS LUE VENEREA SEPARATI EXEMPLUM MEMORABILE.

Non luem Veneream, ejus indolem, cauſaſque inquirere, minus exuviarum, tropoeorumque ex hac Palaeſtra reducum meminiſſe; haec enim Medius fidius! pueris, niſi qui nondum aere lavantur, inſuper cognita; ſed praecipuam oſſis Frontis partem hoc morbo deciduam, eſt equidem Medicis animus tranſmittere faſtis.

Scortum, quod nullis non in lupanaribus proſtiterat, ſaepius Gonorrhoeam meretricando ſibi adquiſivit, qua licet ſanata, tantopere tamen udis indulſit inguinibus, ut morbo pallens virorum ictus abſorbendo ulterius impar, e rigida quondam tentigine vulva turpiter polluta maderet, & tandem peſſimum proſtibulum a lenone remiſſum, luem contraxerit Veneream, faucibus inhaerentem, variiſque tophis caput quaquaverſum, praecaeteris os Frontis obſidentem. Quibus, re licet redacta ad triarios, e Mercurio praeparatis ſubſidiis fomitem mali coërcentibus proſpectum, hujuſque (*a*) figurae inſigne oſſis Frontis fragmentum a diploë ſeparatum, & horrida Pellex adſerta eſt, ſed foeda cicatrice adeo deformis, poſtea qua nullis fuit amata Procis.

Sejunctum (*b*) os ſua dimenſione non minus eſt quam pondere conſpicuum, cauſa phoenomeni tamen me latet, niſi amplectar ſententiam (*c*) illorum, qui Mercurium ſeſe inge-

(*a*) Tab. III. Fig. I. (*b*) Tabul. III. Fig. 1. (*c*) J. Aſtruc. Lib. II. Cap. XII. de morbis Vener. R. Mead. Tract. III. Venenor. Mechan. expoſit.

ingerere poris & filamentis oſſeis autumant, quod dirimendum examini & diſcuſſioni periti Lectoris relinquo.

Hujusmodi ſeparationis exemplum (*d*) Cornelius Stalpartius Van Der Wiel notavit.

Tabulae Tertiae

Figura I Oſſis frontis fragmentum ſua naturali glabra ſuperficie orbum, quaquaverſum tanquam Blatta & Teredine aſperum, hinc inde exeſum demonſtrat.

(*d*) Centuriae prioris Obſervatione IV.

FRAGMENTI OSSIS BREGMATIS ULCERE SORDIDO SEPARATI HISTORIA.

Incuria & Parentum ſordibus liberis inſigi maculas, ac varia vitia, ſatis ſuperque compertum eſt; quae niſi ſumma ſedulitate & requiſita munditie in ipſis faſciis ſuffocentur, progreſſu augmentum capiunt, in pejus degenerant, nec raro atrociſſimi mali cauſae.

Hanc Wilhelmus Ellinkhuizius urbis Lugdunenſis in Batavis Chirurgus eximius decimo tertio Calendarum Aprilis Anni CIↃIↃCCXII obſervavit, ac in noſocomio Petrum Duiker puerum octennem curatum recepit, circa oſſis Bregmatis partem ſuperiorem cruſtam peſſime foetentem in capite ſuo gerentem; cui mox proſpexit pulvillo e linteo carpto confecto, ac unguento Baſilico inuncto, quo poſtera luce eſchara ſeparata fuerit, merumque Cranium nigricans obviam prodierit: hoc viſo plumaceolos tinctura Myrrhina ſaturos ei impoſuit, animadvertitque ſuturam Sagittalem per oſſis fragmenti membranae durae Matri incumbentis medium excurrentem, a ſub-

TAB: III.

Fig: I.



Fig: II.




Fig: III.



F. v. Mieris delin. J. v. d: Spyk Sculps.

ſubjacentibus arteriis Palladem rigantibus diſtinctiſſime moveri. Hinc non inauſpicato collegit, illud brevi ſanie, qua ulcus continuo maderet, ſejunctum iri; idcirco pergit, quo ceperat pede. Puer interim carminatorem agens victum quaerebat, donec incipiente autumno valetudinarius ſaepius Lypothimia & appetitu proſtrato adfligebatur, quamobrem pharmaca adſumpſerit, iiſque ſeſe melius habuerit. Matureſcente vero autumnali tempeſtate recidivam paſſus, quotidie in lecto cubare coactus fuit, quum ſimul purulenta materies ſolito magis foeteret, dura Mater denudaretur, oſſisque fragmentum adeo vacillaret, ut exemptu non eſſet difficile, ſed non tantum ob frigus ſuo loco, verum ut ultro ſepareretur a parte ſincera relictum eſt, quae in omni membrana oſſeque ſeparando ſuprema lex eſt, ne renovata noxa, vel haemorrhagia circumjacentes detrimentum capiant partes, quamobrem iis, ut putredinem coërceret, ſanas confortaret aqua Theriacali, tinctura de Myrrha & melle Roſarum rubrarum proſpexit, quibus ſeptimo Calendarum Decembris oſſis Bregmatis (*a*) fragmentum fuit ſeparatum, dura Matre adhucdum ſordeſcente, graveolente.

Deinceps puer interdiu de urgente querebatur dolore, dubio procul ob frigidum, Menyngem ambientem aërem, noctes vero placide tranſegit, ob lecti foventem calorem, hujusmodi adflictis amicum.

Laticis copia indies perſeverabat, ulcus tamen carne implebatur, ac paulatim decrevit foetor, tandemque puris effluxus componebatur, qui, priusquam cicatrice clauderetur, feſtucam oſſis puſillam ejaculavit. Ulcus, quod jam mundum & terſum a ſordibus, deſiccativo unguento rubro obtexit. Hac ſedulitate priſtina potitus valetudine puer, ſeſe

(*a*) Tabul. III. Figur. 11.

ſeſe quinto Iduum Januarii ſubſequentis anni operi accinxit vegetus.

Tabulae Tertiae

Figura II. A. Externam oſſium Bregmatum fragmenti faciem,

B. Suturam Sagittalem,

Figura III. A. Ejusdem fragmenti interiorem aſperam & inaequalem,

B. Quondam duram Cerebri Matrem reſpicientem glabram faciem,

C. Lineolam ſuturae ſagittalis demonſtrat.

INFERIORIS MAXILLAE CONSPICUA SEPARATIO.

Dyſenteria in Principio labentis hujus ſeculi epidemice, praecipue Harlemi, ut rara in urbe familia, quae ſtrage hujus morbi immunis evaſerit, graſſante, Alida Ditjes tum temporis nonum nativitatis annum agens hac miſerrime adfligebatur, qua vix recedente in foetidum oris ulcus, vulgo ſub nomine Nomae veniens, incidit, ut brevi a Proceſſu ſuperiori uſque in inciſorium a primo proximum dextri ordinis dentem repens, maxilla inferior fundo tenus fuerit infecta. Huic ſequenti oris collutione praeſtitum auxilium, qua ſingulis horis pars laeſa & totum os penicillo lavabatur, petita ex aquis Cinnamomi, Theriacali ſimplici, ſpiritibus Matricali, herbae Cochleariae, melle Roſarum rubrarum, tinctura Myrrhae, & vino Gallico. Externe putido genam depaſcenti ulceri e fluidorum malo habitu, viriumque defectu oriun-

oriundo proſpectum Cataplaſmate e Foliis, Herbis, Floribus Gangraenae reſiſtentibus, Malvae, Altheae, Abſynthii, Scordii, Abrotani, Rutae, Roſarum rubrarum, Sambuci, Chamomillae, Meliloti, Electuario Theriaca, Melle, farina lini, & vino Gallico maceratis, vaſe rite clauſo ad debitam cataplaſmatis conſiſtentiam coctis, confecto, partique damnoſae, abſque alio paratu, admoto. Quibus ſubſidiis, ſolerte interna curante Medico, ſubſecuta eſt oſſis ſeparatio a praemonito proceſſu in recitatum dentem, ut totius maxillae inferioris dextro latere deciderit dimidium; remanente fimbria oſſea ſeſqui circiter lineam lata, qua dextra Mala, ruinae proxima, ab exidio integerrime fuerit adſerta, operante natura non minus virgunculae valetudini, quam venuſtati.

Huic ſuccurrere morbo a variis ſtudetur variis. Hi unguento Ægyptiaco, aut Felicis Wurtſii, illi muria conditorum Citri pomorum, eorumve ſucco recente, nonnulli hiſce auſterioribus, immo vel Spiritu Vitrioli non excepto, de paſcenti malo mederi conantur. Salvo meliori vero judicio, quaelibet Gangraenae reſiſtentia, fomitem mali domantia, ſeparationem ſua virtute promoventia eligenda potius monerem, praeprimis, quum vitii indoles vel digito monſtret, requiratque ſerpenti putredini reſiſtere, partes ſideratas a ſinceris ſejungere, quod neutiquam acidis, uti ignavis, ſed motum augentibus, ſimul integras confortantibus abſolvitur; his enim actus fibrarum augetur, pus laudabile citius ſeparatur; habita enim ratione vaſorum abſorbentium, horum medicaminum facultas quovis auſtero, in ſcopum attingendum operatur efficacius, nam cum noſtri corporis liquoribus communicata fibras virtute ſua reſtaurat, qua auſtera minime praedita ſuo acore potius coagulationi anſam praeberent, & de malo in pejus verterent morbum, augendo obſtructio-

ſtructiones, ſanguinis circulationem, cujusvis ſeparationis anchoram ſacram, procraſtinando.

Hunc morbum iis, praeſertim pauperibus & pueris familiarem, qui crudis e qualibet farragine, farina graviori, egenorum quotidiano victu, ac difficile digeſtu, veſcuntur cibis, experimur. Non ſecus illis, quos uberior & luxurioſa ſequitur culina, paſtis deliciis, ſaccharatis, placentis, boleto, ac multo tubere turgentibus juſculis ſupervenit vitium: nam prae pondere, & aciditate ſacchari, gelatina jurum, hoc genus nutrimenti ſegne & ignavum gaſtrico menſtruo in puerili aetate vix ſolvitur, quo chylus laudatus, ac fluidus reddatur, jam acore depravatus; idcirco ſanguinis proventus & reditus piger & parcus, immo corruptus, circulationis expers, & promptus ad ſtagnationem; qui autem e cibis facilioris concoctionis, torrentior ad nutriendum, & ſecretiones ſeparandum aptus & neceſſarius.

Quibus expenſis in promptu morbi cauſa. Quodcumque enim in corpore humano agit inertem, nec movetur, putreſcit. Reſpiciamus humores extravaſatos, ſugillationes, contuſiones, necroſes, quis Medicorum iis cauſticis, auſteris, acidis vel laudato Oxycrato, ex aqua ſimplici, urina, aceto, vel hujus farinae ſimilibus parato, mederi conaretur? Mehercule vel duo, vel nemo! omnes enim latices, echymoſi turbati, niſi per tranſpirationem inſenſilem, aut abſorbendo ducantur in actum, corrumpuntur, Gangraena ab innocuo ſejungendi.

Quamobrem Chirurgicae diſquiſitioni relinquo, num auſteris & cauſticis, quam ſatius recenſis depaſcenti putredini reſiſtentibus, ſinceras reſtaurantibus, & antiſcorbuticis ſit curandum ulcus? Quid boni ſodes acria, quid auſtera, quid cauſtica ſeparandae Gangraenae, quid conferent corpuſculis puerorum, oris ulcere laborantium poſt tumidum ventrem,

va-

variolas, aut morbillos relicto? quis adeo providus, ut horum nihil deglutiant? quae cum ita ſint; ac palam omnibus antiſcorbutica in hujusmodi caſibus nemini nocuiſſe, eadem acribus, auſteris & cauſticis quemlibet praeferre confido.

HAEMORRHAGIA UTERINA SEDECIM PER ANNOS PERSEVERANS.

Quantum ab Haemorrhagia, niſi critice producta, adflicti capiant detrimenti, non eget explicatione.

Ab hinc aliquot annos effraenatae uterini fluxus evacuationis memorabile obſervavi exemplum in muliere quadam, quae per ſedecim annos poſt puerperium continua laboraverat eadem adeo, ut viribus omnimodo exhauſta, emaciata ac enervis reſtiterit. Morbi principio nihilominus variis obſtantibus uſa fuit remediis, illorum vero nullis auſcultavit noxia: donec tandem vulvam peſſis e ſtercore ſuillo, bolo Armeno, terra ſigillata, ſanguine Draconis, linteo raſili & contrito, albumine ovorum, aqua fabrorum ferrareorum maceratis & ſubactis obplendam, cruciali ligatura e duabus mappis ſibi invicem junctis lumbis ac ventri injecta, altero ejus cingulo per crura ſuperius retracto, ad faſciam triangularem pudendo admotam retinendam curaverim. Quo topico fluxus fuit compoſitus ac mulier, ut requiſitis mediis, ut diaeta decenti poſtremo, attamen tarde, utcumque convaluit.

Mirari ſubit equidem hanc abſque ſubſecuto Hydrope longaevae Haemorrhagiae ſequela, evaſiſſe diſcrimen.

Si animum in hujuſmodi morbi cauſae inquiſitionem intendam ſedulo, quare noſtratum mulieres huic vitio paſſim

ſint obnoxiae, eandem haud raro, immo frequentiſſime puro linteo attribuendam expertus ſum, mos enim invaluit ſubuculis ac induſiis meris indies curare puerperas; cacoëthes! quod prae caeteris obſtetrices, aſſas & nutrices tenet inſanabile, in aegro corde ſeneſcens, nulla arte eruendum, quum tamen conſtet experientia, iis ut & ſauciatis ac vulneribus laborantibus nihil eſſe pejus: ſiccum enim linteum corpori admotum tranſpirationem nimium auget, ac promovet, hinc ſanguis orbatur liquido, nec raro incenditur, inde febres, inquietudines, capitis dolores, deliria & quaevis miſeris timenda.

Quantum liquoris imbibat lana, temporis tractu nimis arefacta, noverint hujus mercis inſtitores, eamque ad juſtam aëre nebuloſo ſaturare menſuram, ſi enim verum ſit, quaevis corpora, quo minorem inveniant reſiſtentiam, moveri, mirum non eſt, aquoſum ſubire lanam eamque rigare, ſaturata quippe ulterius ſorbere renuit.

Quantam illarum corpora patientur exantlationem? quae indies puris linteis ornantur? haec enim utroque ſtamine tramaque conſtantia, tot habent vacua, quod fila ſibi invicem occurrentia, quae, ut ſicca tranſpirationem & ſudores movent continuo, donec ſaturae inſtar hirudinis fuerint repleta; quibus omnibus antediem evacuatis liquoribus, machina humana debilitatur. (*a*) Quamobrem Hippocrates jubet *Veſtes puras induere hyeme, oleo imbutas ac ſordidas aeſtate.* Hujus ratio videtur, quod aeſtate ſpiritus exhalent maxime, itaque cutis pori ſint opplendi. Si magno quid credas (*b*) Baroni de Verulamio! reſpice Jubernae incolas cervinae ſenectutis, raro cutem repurgato linteo, ſaepius vero oleo curantes, unde illud (*c*) Johannis de Temporibus *Extra*

(*a*) De Salubri diaeta. (*b*) Hiſtoriae Vitae & Mortis II. Paragraphus XI. XII. (*c*) XIII.

Extra oleo, *intus melle*; quo aëris fortius reſiſtant injuriis; quin immo meris pedibus glaciem calcent nivemque.

Nec iis impares antiqui Batavi (*d*) *Truces & coerulei oculi*, *rutilae comae*, *magna corpora & tantum ad impetum valida*, *frigora atque inediam Coelo*, *Solove adſueverunt.* (*e*) *Eosdem fuiſſe Homines magno corpore*, *horrendisque oculis* teſtatur Plutarchus. Sed quid moror Batavos? reſpice ectypos ubique in noſtrae Patriae ſagittariorum quondam contuberniis effictos, ac collige, quales noſtri fuere parentes? quantum poſteritas mutata ab illis, ac quorſum, ſi longior extraneorum indulserit luxuriae mora, evadat horum ſoboles? ut merito Horatii vaticinium agnoſcas veriſſimum,

(*f*) *Damnoſa quid non imminuit dies?*
Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

(*d*) Tacitus de moribus Gormanorum Capite IV. (*e*) in vita Marii Capite XIX. (*f*) Libro III. ode VI.

CAPILLITII PLICA.

Quid ſit Plica Polonica? apud (*a*) Auctores lectu facilius, quam Noſtrates, queis hic morbus plane barbarus obſervatu. Capillitii Plicam a me quondam obſervatam paucis expediam.

Puer quiſpiam annos circiter quatuordecim natus e mendicorum ordine, ipſi eleemoſinam darem, rogavit, quam porrigens ipſius caput nocturno velatum cucullo adſpexi, mi-

(*a*) Dan. Sennert. Tom. IV. Pract. Lib. V. Partis III. Section. II. Cap. VI.

miratusque hujus diſciformem figuram, a fronte tempora & ſinciput inſtar podii circumeuntem, mea vice quaeſivi, quid ſub eodem portaret, praeter capillitium, regerebat, nihil. Quod ſi verum ſit, accedas repono, domum intres ac rei veritatem experiar! mox remoto capitio Gorgoneum mihi monſtrat caput, capillis adeo implicatis, ac in cirros contortis, ut nec arte, nec ferrea patientia extricandi eſſent. Hac novitate ulteriori indagationi ſtudens, horridum arripui globum, movi, ac elevavi, quo mihi immundities inſtar cruſtae capiti inhaerens, magna comitante pediculorum caterva, adparuit. Tum ſqualidum rogavi in qua degeret proſeucha? velletne matrem arceſſere? reſpondet omnino, qua comite brevi recurrit. Forficem, echinum pectenque ſibi compararent monui, quid iisdem agendum docui, atque hiſce expenſis parem praebui pecuniam; ea tamen lege & conditione, quod, ſi e voto pueri detonſum mihi pridie monſtraret caput, me laboris pretium auctu-rum. Ut dictum factum, redit poſtero jam ab inutili morboſo adparatu purgato cranio, a pediculis ſordidaque porrigine utcumque caſtigato, cujus munditiem, caeterum curare cutem adhortatus, ſteti promiſſis.

CAPITELLUM SEDIS VULVA LAPSU INTRUSUM.

Raros licet caſus nos doceant obſervatores, nequaquam tamen quis ſibi finget adeo inſuetos, quin inſolentiores ſubinde animadvertimus.

Mulier quaedam ſeptimo praegnationis menſe, anno labentis Seculi XXXVIII. media nocte ſurgens e lecto, in ei adſtantis ſedis capitellum ceſpitando incidit, illudque in Vulvam

vam recepit, ac illocum in pavimentum proſtrata fuit. Mox patiebatur uteri vix fraenandam haemorrhagiam, quam, admota faſcia triangulari ſuperinjecta bicipiti ligatura e duabus mappis concinnata, caeterum emulſionibus confortantibus compoſuimus, receptae ventris, feminum ac interfeminii contuſioni poſtero conſulimus e corticibus Quercinis, foliis Altheae, Roſis rubris ſimilibusque decocto, qua cautela brevi convaluit ac geſtationis abſoluta periodo feliciter peperit.

Hujusmodi alterum caſum in alia muliere vidiſſe mihi contigit, hoc tantum cum diſcrimine, quod hujus lapſus levior, illius gravior foret, nec ſymptomata adeo urgentia.

Quoniam pudendorum muliebrium coepit mentio, tranſi, ac tertium audi, ſua memoria dignum, a me ut obſervatum, ut ad normam, & artis Chirurgicae leges a Jano Steneveldio Suſceptum.

Ancilla civi cuidam Lugdunenſi Batavo inſerviens tempore, quo Domus ceu nitore cultas, ceu immundas aequali muliercularum noſtratum mos eſt purgare furore, incidit in marginem urnae ad ſcalam, quam adſcenderat, adpoſitae, laeſitque alterutrum turpiſſime vulvae labellum, horrida ſubſequente haemmorrhagia, vulnere circiter indicem longo recepto, echymoſi circumjacentes partes obſidente, atque Gangraenam minitante. Separatis ſeparandis plaga carne fuit impleta, cute obtecta, ac miſella ab hoc infortunio vindicata, neutiquam vero fiſſum labium adeo ſeſe e voto recollegit, atque coaluit, quin primo adſpectu, gemina vulva dotatam juraſſes virginem.

INTESTINA TENUIA ANO EXCRETA.

Multa inaudita fieri, quaevis vero omnibus veſtigiis indagare non eſſe in Medicis, praeſens docebit narratio.

Uxor Jacobi Baat Cerdonis Lugdunenſis, vetula annum agens ſupra ſeptuaginta octavum, die Saturni menſis Novembris ipſis Calendis cIɔIɔccxxxII de ponte, quo Ruricolae Frumenta venum exponunt, deſcendens, ictu inopinato a fortiori ruſtico percutitur, ut reſupina in lumbos peſſundaretur, reſurrexit, & in arcem ſummis comitibus doloribus ſeſe Calceolarii domum, eo degentis contulit, quam intrans domeſticos Medicum atque Obſtetricem in ſuum auxilium vocare oravit, ut dictum factum eſt, eam conveniens infandis torminibus ſtipatam, jam jam recitatam hiſtoriam narrantem invenio, nec non ſe prope muliebria obſervare procidentiam, quae Obſtetrici innuo, haec, dum ſeſe reſtaurandae uterinae proptoſi accingit, ſubleſta ac attonita ſe nequaquam prolapſum uterum, ſed inter nates horrendam ani procidentiam animadvertere fatetur: quibus perpenſis ratum duxi Chirurgum dexterrimum ac citimum vicinum, Janum Steneveldium arceſſere, ejusque opem implorare, qui mecum, ſepoſtis vetulae veſtibus, laxata in priſtinum reſtituere conatur; ſed Ædepol ambo inania meditati ſumus! nec mirum! ad minimum quippe totius ſyrmatis inteſtinorum tenuium tertia pars ex ano pendebat, opera oleoque perditis, nec encheireſi quid valentes, praeſcripſimus mixturam anodynam flatus diſcutientem, fotumque emollientem, ac putredini reſiſtentem, pannis adfectae parti imponendum, atque domi ſuae locari curavimus: hujus diei pomeridiana tertia iterum convenimus adflictam, jam

nau-

nauſeabundam, vomentem, & motibus convulſivis adfectam, inteſtina lurida, nigricantia & in Sphacelum vergentia notavimus; ut praeſcripta, quantum fieri poſſet, adhiberentur commendavimus; ſed irriti labores! Vomitus ac Spaſmus atrociſſimi & implacabiles hoſtes, hac ipſa moriente die, vitae miſerrimae tragaediam clauſerunt.

Quomodo? qua via? [ſed morbis ac fatis invia nulla via eſt,] inteſtina tenuia huc quaeſiverint exitum, me latet, quem, repulſae cauſa, nobis cadaveris inquiſitionem rogantibus, videre non licuit; equidem vero adflicta ſuperſtite, interfemineum ſeu perinaeum, locum anum inter & vulvam integerrimum; hinc conjicio antecedentem exulcerationem partium rectum inteſtinum intra limites ſuos coërcentium, rupturam, vel ſimile quid huic anſam praebuiſſe malo, & hac ſemita inteſtina excreta fuiſſe; quid autem certi de hoc caſu, Medicorum annalibus non indigno, ſit renunciandum, ſagacioribus Medico Chirurgis, ac Anatomicis relinquo; dum juvat vidiſſe, quantum mihi, vel quibuscum communicaverim, innotuerit, caſum, alterum nondum cognitum morbum, de quo omnis obſervatorum ſilet oratio.

EXCRESCENTIA VARICOSA IN INTESTINO RECTO.

Cujus tituli, & ſubinde immedicabilis mali tubercula, haemorrhoides, cum in ano tum in inteſtino recto nidulantes varices, haud raro in fiſtulas, ulcera ſordida, caeteraque oeconomiae animalis turbamenta degenerantes,

vel

vel me reticente teſtantur (*a*) Medici ſcriptores, quapropter eos medcamentis (*b*) ferro atque (*c*) igne caſtigandos recte monent, ut illorum fomes coërceatur, ac furens cerberi capitum inſtar expullulans incrementum funditus cohibeatur.

Anna Nicolai Filia triginta ſex annos nata ab Amaſio impraegnata ac decepta ſumma melancholia adficitur, hinc menſium ſufflaminatio, alvus praeter naturam adſtricta, tandem lenta ac moleſta, quibus vitiis indies augentibus, maturo Autumno anni CIƆIƆCCXXXIV obſervavit ſeſe laborare excreſcentia in altiori ſede dextrorſum latitante, faecibus non ſolum moras nectente, quin imo per ſex vel octo dies eas ſupprimente, ſibique alvum deponendi, ſedendi, vel quaevis domeſtica peragendi facultatem negante; hinc horrendae aſſeclae, tormina ventris, eumque exonerandi irriti conatus, ejectis vero faecibus una cum excreſcentia frequentes haemorrhagiae, caeteraque ſymptomata miſerrimam circum venerunt; ut vitae pertaeſa coacta fuerit ſuum cruciatum, [in praeſenti inſerviens conſpicuae familiae] Dominae indicare, quae me in auxilium vocare ſatius, quam ociari duxit.

Examinatum veniens, catharticum praeſcripſi, quo alvo depoſita (*d*) Remoram cum excrementis ano exploſam fibris inteſtini recti adnatam, colore, tactu, aliiſque indiciis Carcinoma repperi. Partibus adſtantibus perpenſis, ſimul & ſemel illud ferro abrumpendum, nec operationem ulla pro-

(*a*) Dionis Cours d' Operat. de Chirurg. dans la quatriéme demonſtr. Jan Palfyn Verhandeling van de voornaamſte Handw: der Heelkonſt Cap. XX. (*b*) Hippoc. Lib. de Haemorrhoid. Marc. Aur. Severinus de Paracent. (*c*) Hippoc. Lib. de Fiſtulis, Marc. Aur. Severinus Pyrot. Chirurg. Lib. II. Part. 1. (*d*) Vide Tabulam IV. hanc exhibentem.

procraſtinatione differendam judicavi, ac Lugdunum Batavorum profectae vinculo ligatam lunari ſcalpello amputavi varicoſam molem inſpiſſato ſanguine ſolito craſſiorem, ſibique invicem variis anfractubus coacervatam materiam continentem, uti praeſens archetypum exprimit: inflicto vulneri primo linteo carpto, iterum ſyphone congruis ſubſidiis proſpeximus, tandem cauterio per cannam affabre concinnatam ano immiſſo, (*e*) Hippocratis ad exemplum fontem compeſcuimus, ut brevi integra ad ſuos Lares redierit.

Nihil vero, licet optati exitus, ac caeteris numeris abſoluta videretur operatio, ab omni parte beatum; vix enim ſeſqui menſis praeterierat, quin me Chirurgumque Carolum Gervais, qui mecum operationem ſuſceperat, convenit, querens in latere recti inteſtini oppoſito de laticum podicem, nates & induſium conſpurcante ſtillicidio, quod ſordidum ulcus, digito ano immiſſo nullam ani fiſtulam, inteſtini recti partes, quae operationem paſſae fuerant munere ſuo fungentes, varicum vero minorum extirpato acervum experti, quidquid in iis tollendis auſpicati ſumus, incaſſum fuit: nae tamen indagavimus poſtmodum cavitatem e recto prope Anum, juxta os Coxendicis ad Sacrum ſurgentem, qua reſecta, ſe altera offerebat, tertiaque, hiſce deinceps ſcalpello apertis varicum latebras penitus tentare nobis fuit in proclivi, ſed (*f*) horum numerus indefinitus ſeparatus eſt; tanta quae luxurioſa congeries torcuit nobis ingenium, verentibus, quemadmodum poſtea evenit, ut tota quanta ſedes contagio madentis colluviei rueret in ſphacelum; foetor quippe, exulcerataque Condylomata vel tubercula, quibuscum luctabatur, tanquam hoſtes, nulla arte profligandi, viribus exhauſtam invaſerunt, ut, tanta malorum Iliade fracta, tandem animam lubens exhalaverit.

Ex-

(*e*) Lib. de Haemorrhoidibus. (*f*) Vide Tabulam IV.

Explicatio Tabulae Quartae.

Continet lagena Varicoſam Excreſcentiam cultro ab Inteſtino Recto abſciſſam, huic annexum ſyrma varices minores poſtea ſeparatos ac filo trajectos prae ſe fert.

ANI FISTULAE HIANTIS IN VULVAM HISTORIA.

Septuagenaria alvo praeter naturam adſtricta longum adflicta, tandem haemorrhoidibus anum obſidentibus, & in recto latentibus dire cruciabatur, nec eas devincendi compos; vitam cum ſummo taedio degit. Donec exacerbante indies malo pudendis ſinuique muliebri dolor, inflammatio & febres ſupervenere, quibus emollientibus aeſtum coërcentibus ſuccurrere ſtuduit, votiſque potita ardorem compoſuit, ut ab omni ſymptomate videretur immunis. Proh vero! rupto apoſtemate, quod intus vulvae membranas inteſtino recto adnatas perforaverat, pus cum faecibus effudit, ac ſordidum patravit ulcus, praepoſterum naturae ordinem oeconomicum perturbans penitus, quo Vulva vicariam Ano impenderet operam, nec vetula in poſterum per podicem exoneraverit alvum.

Vitium equidem nulla arte redimendum, per ſe omnem Chirurgiam reſpuens, ferrumque recuſans. Interfemineum abſcindere, vel involuntarium excrementorum effluxum, quo ultro laborabat, inferre perennem, ſphincterisve fibras elaſticas, quas ſuperaverat noxa, abrumpere ferro, tantundem. Hinc ſecundum monitum (*a*) Jani Palſynii, *Fiſtula indicis lon-*

gi-

(*a*) Naauwkeurige Verhandeling van de Handwerken der Heelkonſt, XX. Hoofddeel 1. Deel.

TAB: IV.



J: v: d: Spyk Sculps.

gitudinem excedente, in hujuſmodi lamentabili adfectu manum tenere de tabula, ſupremum conſilium.

ANI FISTULAE HIANTIS IN VULVAM HISTORIA ALTERA.

In Quinquagenaria deinceps hunc adfectum obſervavi ab albo fluore productum, quo, menſtruis jam ſenio ſuppreſſis, valetudinaria ac macilenta evaſit, mox lenta adfligebatur febre ob malam ſanguinis diatheſin, haud raro ulcerum primariam cauſam, acredine quippe & cauſtico ſuo vulvam, qua reſpicit rectum eroſerat fluxus, huic miſerae non ſecus ac praecedenti fiſtulam pure & ſtercore horridam comparans, qua tandem prorſus enervis occubuit languida.

ANI CLAUSI HISTORIA.

Quam mirifice rerum primordia aucta & ad maturitatem ducta fini Summi Artificis ſatisfaciant, in cujuslibet creati geneſi experimur; perfectiſſima tamen ſemina petulante naturae luſu in ſuo progreſſu haud raro turbari, quin imo mutila prodire partu, repetere eſt ſupervacuum, horum vel minimas partes, licet caeterae omnibus numeris abſolutae, machinae humanae ſummas noxas, & ipſam inferre mortem docemur.

Abhinc triginta circiter annos Lugduni Batavorum Filia naſcebatur, cui anus erat inperforatus, quapropter eum Chirurgus mox reſecuit, neutiquam vero ſcopo ſatisfecit haec operatio, nec ſufficiente quantitate per hanc ſecturam, reſpectu recenter natorum alvum exonerantium, moeconium depoſuit infans; quo paulatim venter magis magisque in-

tumuit, ac integrum trimeſtre omnium commiſeratione digna tranſegit, donec pectoris oppreſſione, & impedita reſpiratione ſuffocata ſuum inſpiciendi cadaver, malique cauſam, quam inquirendo invenimus, indagandi nobis praebuerit copiam.

Tenuia Inteſtina, aperto abdomine aucta dimenſione praeter naturam invenimus, mirum in modum flatu expanſa, nil praeter aërem continentia; Colum e contra faecibus infarctum rupturam minabatur; circa hujus terminum pyriformem cloacam ſecius ac Colum refertiſſimam duarum circiter librarum liquoris capacem offendimus, cujus appendix inſtar caulis Rectum formaverat Inteſtinum, adeo anguſtum, ut vix ſtilum exploratorium mediocris craſſitiei amplecteretur, per conſequens ad alvum debite ſolvendum ineptum, nec arte Medica, nec Diaereſi, qua ſuo munere fungeretur, ab hoc vitio redimendum.

ANI CLAUSTRI ALTERA HISTORIA.

Anno Seculi labentis trigeſimo ſeptimo, nono Calendarum menſis Julii uxor mercatoris Lugduno Batavi Filiam omni membro & conformatione venuſtam eniſa fuit, quae moeconium alvo contra naturae leges retinuit. Hac novitate animo perculſi parentes meum efflagitaverunt auxilium. Accedens auditis miſellae querelis rogavi num anus apertus, vel invius eſſet, idcirco involucris ſepoſtis, in anum inquiſivi, eumque apertum recte formatum expertus ſum; hoc phoenomenum miratus e ſapone Veneto gracile ſuppoſitorium confeci, eique immiſi, ſed renitens offendi clauſtrum, de quo, ut evaderem certior, ei parum olei raparum ſiphunculo injeci, irriti vero conatus, hoc enim regrediebatur, nec ejus guttula intravit; hinc vel Rectum Inteſtinum integerrime clauſum, vel adeo anguſtum, ut nihil moeconii excernere va-

valeret, collegi, nulla Chirurgia miſellam adſerendam, vitiumque lethiferum renunciavi: ne vero quid inconſulto molirentur parentes, monui expertiſſimi Medici Wilhelmi Milii implorare opem, qui mecum iterum animo perpendet ſedulo, ſtyloque exploratorio rectum probe examinat, ac jam jam recitatum offendit repagulum. Quamobrem cum nihil promoveremus, abdomen oleo inungendum, anum eo fovendum, caeterum tempori cedendum conſultum eſt; aſt brevi ob inteſtinorum tenſionem, ac excrementorum ſuppreſſionem motibus convulſivis adfecta tertia a nativitate die occubuit, ac morbi cauſam indagandi nobis reliquit facultatem.

Aperto itaque abdomine, quod expanſum pectus ſuperius urgendo infantem necaverat, nullum non Inteſtinum Tenue aëre turgidum, ſolito majus, Colum moeconio tumidum, Rectum ad pugni virilis molem obſervavimus explicitum, hoc, cloacam communem ſimulans circa ſacri oſſis principium cum ei incumbente matrice & veſica urinaria ſeparavimus, deinde anum diſſecuimus, atque in eo ad pollicis tranſverſi longitudinem ſuperius ſeſe ſiſtentem Remoram ad decem lineas circiter excurrentem animadvertimus. Haec indolem membranae plane corneae adepta circa fundum tendentem in anum, ſphincterem fibris ſuis in longitudinem ductis mentiebatur, & nulla encheireſi ſuperandum formaverat repagulum.

ALVINIS FAECIBUS REMORA,

Quam anno labentis Seculi cIɔIɔccxL in Villica quadam per aliquot menſes gravida obſervavi, quae de univerſi corporis, lateris vero praeprimis intenſo dolore, hypochondriorum anxietate, & alvo adſtricta conque-

rebatur. Primum Venae ſectione compoſui, anxietati, ac alvo conſtipatae poſtea clyſmate ſolvendae ſtudui, nequaquam vero huic obtemperaverunt; quapropter iterum, tertium, ut fortioribus ano immiſſis, ut per os adſumptis pharmacis onuſtum ventrem exonerare fuerim conatus; ſed irritus labor, ac medicaminum actus ignavus; dum miſera perpetuo urgebatur niſu; quamobrem deinceps meum imploravit auxilium, quod ipſi clyſtere, e foliis Tabaci & ſale parato praeſtare conabar; ſed incaſſum; hujus enim ne guttulam recepit inteſtinum; quibuslibet examinatis in anum digito inquiſivi, eumque omni faece vacuum, ad indicis vero longitudinem corpus quoddam rotundum, ac glabrum Uterinam proptoſin mentiens membrana obtectum offendi; cujus phoenomeni infrequentia ulteriori ſtudens inveſtigationi, iterum metacarpo tenus indicem ano immiſi, monuique adflictam quovis conatu, tanquam alvum deponeret, in eundem ageret premendo, quum inſignem membranarum ſeu Coli, ſive ſuperioris Inteſtini Recti partis expanſionem excrementis turgentem, iiſque repagulum fuerim expertus, quum cataplasmatis ex avena excorticata in aqua communi cocta confecti fomento tandem decimo quarto a morbo die adtulerim ſuppetias.

EXCREMENTA ALVINA SECTIONE ANO SUBMOTA.

Hujusmodi Inteſtini Recti membranarum prolapſum, faecibus oppletum, ac ano excretum ab hinc aliquot annos, una cum expertiſſimo Chirurgo Carolo Gervais in Puerulo, ſeſqui annum nato Lugduni Batavorum videre, eumque ſimul & ſemel curare licuit; ſcalpello quippe hac ſarcinula reſciſſa, mox non minus a duris & quaſi lapideis excrementis, quam a vitio vindicabatur puſillus.

DEX-

DEXTRI OCULI ORBITAE FRACTURA.

Vitrarius quiſpiam de ſcala, quam adſcenderat confracta eximendi, novaque vitra implendi cauſa, in terram, pronus decidit, lapſuque dextri oculi Orbitam ad os Frontis fregit, abſque ullo vulnere, ecchymoſi, vel ullâ externa faciei, oculove inducta noxia, vehementem attamen e naribus haemorrhagiam patiebatur, quam mox delirium, inſomniae, convulſiones, caeteraque capitis vulneribus familiaria ſymptomata ſubſecuta fuerunt.

In auxilium vocatus Fracturam jam jam a Jacobo Denyſiò Chirurgo Lugdunenſi loco repoſtam offendi, quapropter homini mederi ſtudens, mediam tundere hortatus ſum, nullum vero haec miſit ſanguinem, deinceps ipſi enema injici curavi, inflammationi reſiſtentia, largumque potum tenuem exhiberi juſſi, queis obtemperaverunt ſymptomata, fractura interim coaleſcente, ut brevi praemoniti Chirurgi ſedulitate fuerit adſertus.

VAGINAE UTERINAE CALLOSITAS PARTUI REPAGULUM

Nonaria in adulta ſua pubertate Pudendagra laborans, prae caeteris e congreſſu Venereo exuviis, ſibi ſordidiſſimum ad ſinum muliebrem adſciverat ulcus, quo turpiter foedaretur: a Sordibus nihilominus Mercurio deterſa, ſimul licet calloſa a Perinaeo ſuperius vergente, anguſto tantum

re-

relicto meatu, cicatrice clauderetur Vulva, Viro nupſit, brevique prodigioſa Venere ſuſcepit; emenſa vero geſtationis tempus parere nequiit, quamobrem Medicorum auxilium imploraverunt conſanguinei.

Hi, monitu obſtetricum, una cum Embryulco Chirurgo ſolerte, parturientis ventrem parteſque laborantes inſpexerunt, ſed cicatrice, partui repagulo, examinata debita ſedulitate, nulla arte ſuo faſce levendam miſeram renunciaverunt, caeteroquin ab eodem redimendam; ſi partes cicatrice coalitae reſectionem, ſecundum (*a*) Ambroſium Paraeum, tuliſſent; quae dubio procul tentata fuiſſet, ni totus quantus ſinus, anguſto excepto meatu, cum deformis, tum indice ſuperius ad Uteri collum, quantum mihi anxia indagatione experiri licuit, callo obſeſſus, manum tenere de tabula monuerat Medicos; neutiquam vero, vixiſſet modo ſoboles! poſt obitum matris ſectio Caeſarea.

(*a*) De Generat. Cap. XXXVIII.

PARTUS CAESAREO PROXIMI HISTORIA.

Vita brevis, *Ars longa*, *Occaſio celeris*, *Experimentum periculoſum.* Primum, ſummum, veriſſimum (*a*) Principis Medicorum effatum, ab omni memoria, haud ſecus ac in praeſenti experientia obſervatum, adſtructum: vitae enim mortalium brevitate neutiquam unicuique medenti quaelibet experiri conceſſum; Ars Medica licet, uti rerum naturalium hiſtoria, uberrima Diana, noſtroſque in nova ad-

(*a*) Hippocrat. I. Aphoriſm. I. Section.

adfatim ferat animos, quin immo producat, fieri quae poſſe, a prima fronte, quamvis ab (*b*) aliis ſua memoria obſervata, negemus. Vix tamen quis Medicorum ſibi perſuaderet a priori, Gravidam, poſt varios caſus & tot diſcrimina, evaſiſſe incolumen.

Ipſis Calendis menſis Octobris anni CIƆIƆCCXLI ſeculi labentis me convenit Gerardus Langhoorn Chirurgus ad *Pontem Pagi*, (*c*) a Paludibus dicti, quidque in hac ſua ſtatione contigerit refert. *Se nempe jam per quinque hebdomadas cuidam Gravidae, Mariae Dobbe nomine, uxori honeſtisſimi Franciſci Alphenaar feciſſe medicinam, quae geſtationis tempore ſolito praeterlapſo, licet quam vehementiſſime parturiverat, nullo modo fuiſſe nihiloſecius enixam prolem, ſed eandem aegerrime poſtea laboraſſe jam febre, doloribus circa Hypochondria, Ventrisque torminibus, deinde Aphthis, caeterisque diris ſymtomatibus uſque in praemonitum diem, quum in gibba Abdominis regione ſuperius ad Umbilicum ſeſe ſiſtiterint veſiculae quaedam Gangraenae futurae praeſagia, queis ruptis, ingens humorum prodierat copia, ac funiculi Umbilicalis portio ſyderata ſummo cum foetore, infauſti ominis augurio, vitam omnium commiſeratione dignam degente miſerrime adflicta.* Mirabar caſum, ſimulque horridus fragor mihi quatiit oſſa.

Sententiam rogatus abdomini cataplaſmate Gangraenae reſiſtente proſpiciendum commendo ſedulo, ac tanta malorum caterva quaſſatae emulſiones confortantes nutrienteſque propinare jubeo. Sexto Nonarum ejusdem menſis Chirurgus offendit ſiniſtram foetus manum ad cubiti flexum per integumenta corporis communia, jam Gangraena, putredine

(*b*) Abrahami Cypriani Epiſt. ad Thom. Millington: (*c*) de Waddingsveenſche Brug.

ne ſqualida, ſibi exitum quaeſiviſſe foras. Animo hac novitate perculſus me iterum quarto Nonarum Octobris convenit, enixe petens, ſi quid ſupereſſet remedii ſuppeterem quantocius. Cui voto me ſatisfacturum pro virili ſpondeo, ea tamen lege, Hiſtoriam narraret Clariſſimo Hermanno Ooſterdyk Schacht Medicinae Profeſſori Lugdunenſi Batavo, ejusque colligeret ſententiam. Ut dictum factum, adimus verſatiſſimum Medicum, qui, poſt exactam trutinam, parturientem in ſummo verſare ancipiti non tantum, verum rem, uti ferunt, redactam ad Triarios reſpondet, attamen monente (*d*) Celſo, *Satius eſſe anceps experiri auxilium quam nullum!* Suadetque ſuo hoc faſce moleſto liberare miſeram ſectione.

Mox itineri me accingo, comitibus Cornelio Reverhorſtio Medico, Gerardo Dikte, atque Carolo Gervais Chirurgo utroque dexterrimo, venimus, vidimuſque miſellam.

Quibuslibet, jam jam recitatis, perſpectis examinatisque ſub exporrecta foetus manu brachioque ſiniſtrae meae Abdomini ingero mihi conductorem indicem, ac validiſſimo ſcalpello primum corporis integumenta perſcindo, mox muſculos, tandem Peritonaeum inferius verſum in longitudinem, ad quatuor digitos transverſos in apicem digiti pertundo. Hac ſectione peracta, inunctam oleo raparum vulneri immitto manum, qua unum alterumque arripio pedem, ac Abdomine extraho, quos priori Chirurgo mappa involvendos trado, involutosque mecum ſumma ſedulitate ad genua foras ducere hortor, denuo Abdomini manum ingerens, quaerebam utrumque brachium, inventaque ad humeros, poſtremo totum, nequaquam mediocris magnitudinis, foetidum, integrum tamen, extraho Caeſonem.

Ma-

(*d*) Lib. II. Cap. x.

Majorem nobis placenta uterina peperit nauſeam, quae neutiquam ipſi uterino viſceri, ſed ſiniſtrorſum, tubae Fallopianae Ovariove inhaerens caliginoſo obruta coeno, haud facile morem geſſit; donec monente Carolo Gervais altero Chirurgo, arripiam fluctuantem membranulam, quam inſequor indice, explorans, num hac praeeunte, ſecundinas ſolvere valerem, quo tandem voti compos easdem a contiguo ſuo ſeparavi, eduxi. Deinceps cloaca quodammodo a ſua ſorde purgata, triplici Sutura filo cera munito, vulneris inflicti labia contraximus, relictis nihilominus quatuor forulis, putredini evacuandae ſatis ſuperque paribus, ac tandem linteo raſili, emplaſtro tenaci, faſciis, atque ligaturis decente paratu proſpeximus Puerperae.

Qua cum operatione, tum religatione, favente Numine, peracta, hoſtem inſequi ulterius, tandem fundere fugacem, nobis erat animus, ac communi ſuffragio ejus putredini reſiſtere duximus conſultum, ſequentiſque decocti poſtridie, una alteraque ligaturae ſoluta circumvolutione, aliquot cochlearia vulneri infundere; recepimus itaque Herbae Abrotani, Marrubii, Scordii, Florum Sambuci, Meliloti, Chamomillarum vulgarium ſingulorum unum, Roſarum rubrarum ſeſqui manipulum, quorum decocti colaturae viginti unciarum addidimus vini albi Gallici decem, quatuor mellis Roſarum, quibus in poſterum ſingulis religationibus adflictis partibus proſpicere Chirurgo praecepimus, queis compeſceretur foetor, reſtaurarentur laeſae regiones.

Octavo Iduum Octobris, quum ſecundum Adflictam omnes convenimus, eandem contra ſpem, & omnium opinionem recte degentem offendimus, eique praemonito decocto, ſuperimpoſito linteamine raſili, emplaſtroque tena-

ci, lumbos non ſecus, ac ipſum Abdomen, inſtar zonae ambiente iterum proſpeximus.

Ipſis Octobris Idubus tertium eandem convenimus, ac ſeſe bene habere experti ſumus, ulcus coarctatum, ejus foveam minus profundam, ſordem puris adfluxu jam ſeparari, atque ſarcoſeos primordia pullulaſcentia; e quibus Puerperam priſtinam valetudinem brevi recuperaturam fore ſummam fiduciam, ſpemque concepimus certam; nec inania ſumus meditati; nam ſexto Calendarum Decembris publicis Fidelium precibus interfuit, egitque debitas, ob ſervatam valetudinem, ſummo Numini grates, & tertio Iduum Decembris me Lugduni Batavorum convenit, monſtravitque praemonito Profeſſori mihique Ventrem profunda cicatrice clauſum Umbilico carentem.

En Candide Lector Hiſtoriam raro contingentem! Quaeres forſitan quomodo haec proles in abdominis cavum inciderit? ſecundum praeſentium ac mecum operantium commune ſuffragium, e Tuba Falloppiana, aut Ovario ſiniſtro, ipſius enim Matricis nobis nullum ſe obtulit veſtigium, laevoque ſecundinae adhaeſerunt lateri, deinceps foetum non ob ruptum Uterum, ſed Naturae luſum, evaſiſſe Caeſonem, credere non ambiges.

Caeſaream Sectionem cum bonis avibus, ſoſpite matre, quemquam fuiſſe auſpicatum, non nulli dubitant; eandem vero teſte Rouſſeto, (*e*) Daniele Sennerto, aliisque parturientibus quondam adminiſtratam, quin imo ſuos habuiſſe propugnatores, legimus abunde. (*f*) Roonhuyzius hanc operationem in vivente matre inſtituendam contendit, atque ſententiam variis exemplis, litterisque in Gallia datis, prae-

cae-

(*e*) Pract. Lib. IV. Parte II. Sect. VI. Cap. VIII. de Part. Caeſar.

(*f*) Heelkonſt. Aanmerking. 't II. Boek.

caeteris vero alicujus Medici Sonnii nomine Brugis in Flandria celeberrimi adſtruere conatur, eundemque ſuam uxorem a foetu hac Caeſura ſepties, totidemque infantes cum matre ab evidente periculo liberaſſe refert.

Quid autem (*g*) Solingius ſentiant & alii, quantumque fidei hanc ſectionem in nondum enecta matre urgentibus habeant? apud eosdem videre eſt. Acta verumtamen teſtibus probata, licet a prima fronte creditu difficillima negare, meum non eſt; minus equidem alterius metuenda internecione ab alea adeo ancipiti redimere quempiam, neutiquam eandem ſuſcipere, niſi provida Natura, tanquam indice, quo vergat, ſemitamque monſtraverit: non ob Abdomini, ſed Uterino viſceri infligendum vulnus, quod ſi conſpicuum, uti ad extrahendum foetum requiritur, teſte (*h*) Bohnio raro periculo caret: hinc eandem diſſuadet (*i*) Ambroſius Paraeus; tanquam parricidium in viventibus abſolvere damnat (*k*) Moricaeus, immo in Chirurgos, hanc quondam auſpicatos, ſicuti in (*l*) Tyrannos, ac perditiſſimos maximopore invehitur, Rouſſetumque, culpatum ab his, laudatum ab (*m*) illis, ut mendacem aretalogum accuſat fallaciae.

Hac ſectione ſubinde foetus extra Uterum, vel in Ovario, vel in Tubis Falloppianis conceptos, deinde ad maturitatem ductos Chirurgia in lucem editos fuiſſe vel integerrimos, nullus inficiabitur, quin immo ſuperſtite matre, ſalva, ac incolumi, hac, ut & Abrahami Cypriani obſervatione docemur. Iterum (*n*) quosdam per ſedecim menſes, nec non ultra quatuor annos putidos, oſſetenus muſculis orbos ma- ter-

(*g*) De Operat Caeſar. (*h*) De Renunciat. Vuln. (*i*) De Generat. Lib. XXIV. Cap. XXXVIII. (*k*) De uteri Sect. Cap. XXXII. (*l*) Idem ibidem. (*m*) L. Heiſter. CXII. Hoofdſt. van de Keizerlyke Sneede. (*n*) F. Hildan. Epiſt. reſponſ. ad Michaëlem Doringium.

ternis inhaeſiſſe viſceribus, ac poſtea operante Natura, eamque Artifice ducente Chirurgo, iiſdem erutos, compertum eſt.

Quamobrem hiſce in trutina poſitis, ac recto vultu examinatis, Gaſtricum Partum, Natura monſtrante viam, ne conſilia in incerto ſint! [Salvo meliori calculo] ſuſcipere cunctos equidem atque equidem adhortarer; quum nihil aequius, nhil rectius, quam prole defuncta Matrem, vel hac extincta, innocentis adſerere vitam, nec magis (*o*) Regiae congruum Legi: *Negat* enim *LEX REGIA, Mulierem, quae praegnans mortua ſit, humari antequam Partus ei excidatur; qui contra fecerit, ſpem animantis cum Gravida peremiſſe videtur. Auſpicatius quippe enecta Parente gignuntur; ſicut SCIPIO AFRICANUS prior natus, primuſque CAESARUM a Caeſo Matris Utero dictus; qua de cauſa CAESONES* teſte (*p*) Cornelio Plinio *appellati.*

(*o*) Marcellus Lib. XXVIII. Digeſt. Lege XI. de mortuo inferendo & ſepulchrum aedificando. (*p*) Hiſtor. Natur. Lib. VII. Cap. IX.

PESSUS OB UTERI LAPSUM PER SEPTENDECIM ANNOS GESTATUS E VULVA EXTRACTUS.

Villica quaedam ſaepius gravida, atque deinceps puerpera, ultimae geſtationis emenſa periodum, prolemque noviſſimam enixa Uterinum contraxit Prolapſum, variis eundem comitantibus ſymptomatibus, prae primis fluxu laticum ſanguine mixtorum perpetuo, Urinarum frequente

ſup-

ſuppreſſione, Abdominis torminibus, caeteriſque Oeconomiae animalis turbamentis.

Horum omnium cauſam tollere ſtudens, Obſtetricis ſuaſu, ſibi peſſum Vulvae immitti curavit, quo dolores mitigati, urinarum profluvium promotum, laticum decrevit effluxus. Quum vero per ſeptendecim annos hoc Uteri fulcrum Vulvae pedetentim moleſtum tuliſſet, tandem occepit de Vaginae, Urinarii Syſtematis, nec non pudendorum conqueri dolore, obſervavitque eadem maximopere inflammari, peſſimo foetore, febre, colluvie caeterisque infauſti ominis phoenomenis, Abſceſſus, vel ipſam Gangraenam minitantibus ſtipata. Quapropter urgentis noxiae pertaeſa ſeſe Lugdunum Batavorum contulit, imploravitque Medicam manum.

Auditis querelis, trutinataque adhibiti auxilii hiſtoria, digitis Vulvae immiſſis in cauſam inquiſivi, animadvertique ad collum Matricis ſeſe ingentem orbicularem ſiſtere Peſſum, quem Indice educere enitebar; hic vero ut Diſcus rotundus nimiſque volubilis ei neutiquam morem geſſit, quamobrem eundem unco extrahere auſpicatus, votique fuerim compos. Extractum examinavi, offendique quatuor pollicum diametri, quatuordecim linearum circiter craſſitiei e ligno confectum Quercino, in medio terebra perforatum, putredine aſperum, feſtucis, inſtar echini, quaqua verſum obſeſſum, peſſime foetentem.

Quo Vulva ſubmoto, brevi faetor, ſordisque effluxus, qui primo cruentus more Lochiorum, deinceps inſtar albeſcentis materiei, poſtremo fuerunt compoſiti, ac Villica a cruciatu & hoc ſuo faſce vindicata, priſtina in poſterum uſa eſt valetudine.

Noſtrae regionis Mulieres variis a puerperio obnoxias morbis, nemini Medicorum non eſt in comperto; iiſdem vero

vero ſaepius ob incuriam Obſtetricum Uterum prolabi, quidquid Medici hoc genus muliercularum pervicax adeo, propoſitique tenax miſeris recte conſulere docendo, moliantur in contrarium, adfatim experior. Quoties enim abuſus, adultumque cocoëthes mittere adhortatus fuerim, partesque genitales parturiendo relaxatas, non ſuo recepto cingulo ſub coſtis ſpuriis abdomini admoto, quo ejus viſcera, & cauſa ſecundaria Uterus deorſum pelluntur, triangulari vero faſcia (*a*) crucialique ligatura in antecedentibus exhibita munire, puerperiſque decentiori adparatu proſpicere commendaverim, ejusque facultatem demonſtraverim! toties me ſurdo fabulam [paucis exceptis ingenuis] narraſſe fateor equidem, hinc non raras lachrymas! hinc tot ubique proptoſi Uterina laborantes! tot colluvie Vulvae madentes, artis perperam adminiſtratae offendimus obprobria!

(*a*) Pag. 49. Obſerv. Haemorrhag. uterinae.

MOLARUM CAUSAE INDAGATIO.

Heterogenea non minus in Utero, quam caeteris corporis organis geſtari, eaque jam brevi, iterum longioris temporis intervallo expelli, teſtantur Auctores, qui Molarum meminerint; easque ad biennium & ulterius in Utero nidulari Hippocrates libro de ſterilibus, evadere carneas de morbis mulierum refert. Cauſas agnoſcit, *Quum modicum & morboſum ſemen multi menſes conceperint, neque conceptus recte fit, & venter plenus eſt, velut praegnantis, neque lac in Mammis generatur, Mammae autem turgidae*

ſunt.

ſunt. (*a*) Galenus *molae conceptum ovo quamvis non perfecto, ſed ſubventaneo reſpondere* ſcriptum reliquit. (*b*) Alii *quibusdam mulieribus caruncu las juglandis magnitudinis per pudendum excretas, quin immo ſubinde ſingulis menſibus, aliquando bimeſtres, aut trimeſtres* adfirmant; adſerentes *Molam eſſe* (*c*) *carnem inutilem deformem*, addit (*d*) Clariſſimus Ruiſchius *oſſibus deſtitutam*, uti ex earum anatome docemur.

Has vero nunquam non ab infoecundo compreſſu, & mala conceptione oriri, haud facile quis adſentiet; hoc enim ſi foret verum, virgines, quarum pudicitia omni vacat ſuſpicione, nec vetulae, quibus coitus jam longa oblivio, neutiquam hujusmodi effunderent offas, quas tamen enixas fuiſſe adſtruit (*e*) Ruiſchius. Molam adminimum ſeſquilibrae propria ſua membrana veſtitam a ſancta virgine vitae integerrima Utero rejectam videre mihi contigit, quam inquirens pedunculo matrici annexam fuiſſe & Sarcomati ſimillimam repperi; cujus originis cauſa fibrarum internae matricis membranae videtur prolongatio, ſive ſanguinis menſtrui haud rite expurgati acore, ſeu diuturnioris albi fluxus acredine, quae inflammatione excoriata ſarcomati copiam fecit, ac pedunculo ditavit. His inſuper quaeritur, num in virginibus vegetis coëundi cupidine, inſomniis, partesque genitales virum mentiente Venere fricando, ova ſeparari, in Tubas Falloppianas, aut Matricem prolabi, anſamque praebere malo, ſit impoſſibile? haud ſecus ac in graphicis juvenibus pollutiones nocturnas, aetatis maturae optimique corporis habitus indicia, etiam in Hippolyto caſtioribus obſervamus. Quapropter illud in adultis intactis-

(*a*) De uſu part. (*b*) Petrus Foreſt de Morb. Mul. Lib. XXVIII. (*c*) Gal. de uſu partium. (*d*) Centur. Obſerv. LVIII (*e*) Idem ibidem.

tisque puellis, praecipue vero minus veſicae imperantibus, contingere, negare non auſim.

Sed quoniam Molarum caelibem vitam agentibus & vetulis excretio rara, mulieribus vero vegetis concumbentibus frequentior & familiaris, in illarum inquiramus originem, quam oculatiſſimus (*f*) Ruiſchius *placentulis*, *a foetu abortu enixo in Utero relictis*, attribuit, *easque non minus matricis formam*, *quam carnis duritiem adipiſci* opinatur, quin immo adſidua Uteri compreſſione in Sarcomata converti non eſt quod dubitemus.

Nec minus Molas ovis ſterilibus ſuam debere geneſin colligere ſubit, quibus, haud ſecus ac gallinaciis virginalibus cum foecundis communis fortuna, quae ambo primo intuitu pari paſſu ambulant, nec membranis, nec liquore, nec forma aut figura ullo modo a ſe invicem diſtinguenda, adde, quod ſaepius obſervemus hujusmodi ovulum tertio impraegnationis expelli, deinceps vero nono geſtationis menſe legitimam mulieres eniti prolem. (*g*) Quod ab aliis ſeptimo quoque geſtationis menſe obſervatum eſt.

Hinc ea pro meo modulo perſcrutari operae pretium duxi, nec rarum, tam foecundum, quam ſterile examini ſubjeci, quodlibet tamen ut ovum ovo ſimile offendi, ſolo excepto Vermiculo, ſeu foetu, quo hoc praeditum, illud deſtitutum.

Idcirco utriuſque generis, quo conſtaret ovum ſterile iiſdem machinis, quibus gaudet foecundum, eſſe inſtructum, graphides curavi. Quarum

Tabulae

(*f*) Idem ibidem. (*g*) Fabric. Hild. obſ. LIV. Centur. II.

TAB: V.



F. v. Mieris delin.

J. v. d. Spyk Sculpsit

Tabulae Quintae

Prima & Secunda, haec ſimplici linea tantum, illa omnibus numeris abſoluta, duo repraeſentant ova ſibi ſimillima, exteriori tegmine molliorem mentiente carnem fibrisque a baſi ad mucronem excurrentibus, munita, neutiquam extus foecunda, an ſterilia habenda, quorum diſcrimen vero in diſſectis animadvertimus, uti

Tertia cum ſuo incluſo

A Foetu, quo

Quarta deſtituta ac vacua, demonſtrat.

Quinta repraeſentat ovum ſterile balſamico inhaerens liquori, flocculos membranae ſuae Chorio adnatos exhibens ſub exteriori jam jam recitato tegmine latitantes, quemadmodum videre eſt in

Tertio ſchemate ad litteram

B. Horum (*h*) ſenex meminiſſe videtur in abortivae fidicinae genitura, quam, ſcilicet *pellicula fibris quibusdam albis & craſſis, cum cruore craſſo & rubro obvolutam, ovo, cui dempta eſt teſta, ſimillimam* obſervavit.

Quae cum ita ſint, ovum ſterile ſuis floccis Uteri tunicis adpoſitum augmentum capere, & poſtea in Molam degenerare, collectu non eſt arduum, hoc tantum cum diſcrimine, quod Mola a ſecundinis, a foetu abortu enixo, relictis productum, Sarcomatis indolem adquirat, nec ulla cavitate, qua Mola ab ovo ſterili conformata gaudeat, inſtructum ſit.

Quid

(*h*) Hippocr. Lib. de natura pueri.

Quid ſentiant Auctores de Molis, nec non illarum nomenclaturas & diſcrimina apud (*i*) Petrum Foreſtum videre eſt. Diſtinguunt in Carneas, Humorales, Ventoſas, quibus non nullis placuit acervatum in Matrice poſt partum ſanguinem, haud raro Molae figuram mentientem addere, nequaquam pro ea habendum, hunc enim rite trutinatum, coagulatum, compactum, & praeter naturam diutius in Matrice contentum, nullis flocculis, villis, aut vaſis, Molis a placentulis, aut ovo infoecundo generatis familiaribus dotatum, offendimus (*k*) cruorem.

Quod ad Humoralem, hanc potius Hydatidum congeriem; Aquoſam, uteri Hydropem ſtatuere fas eſt, cujus penultimae exemplum apud praemonitum (*l*) Ruiſchium in ſecundina, cujus pars maxima in veſiculas converſa fuerat, invenimus. Harum globum quondam a muliere abſque praevio conceptu enixum Lugduni Batavorum mihi obſervare contigit, nil praeter Hydatides tenuiſſimae membranae inſtar botri adnatas continentem, qua rejecta nihil prorſus incommodi fuit ſubſecutum.

Harum Vir Conſularis (*m*) Tulpius, (*n*) Cornelius Stalpartius vander Wiel, nec non (*o*) Antonius Vallisnieri meminerunt.

Has ſuam originem duxiſſe ab ovo a Tuba Falloppiana recepto, ejusque pelliculas in bullas expanſas fuiſſe, colligere ſubit, adſerere equidem non auſim, augere enim proprium eſt membranis, prae caeteris ovo, quod, docente (*p*) Regnero Graaffio, non raro veſiculas continet. Quid ni

(*i*) Lib. XXVIII. de Morb. Mulierum. (*k*) F. Ruiſch. centur. Obſerv. XXIX. (*l*) Centuriae Obſerv. XXXIII. (*m*) Obſervatione XXXII. Lib. III. (*n*) Obſerv. LXX. Centur. I. (*o*) Raccolta di Varii Trattati. (*p*) De partibus Generat. inſervient. Mulieb.

ni harum membranae, ovo jam in Utero nidulante, eique villis, ſecundinarum vaſorum tanquam primordiis, adfixo aeque ac foecundi & ſterilis expanderentur? praeſertim, quum experiamur hiſce haud ſecus ac uterinis hoc familiare, quod tenſae evadant craſſiores, eodem teſte (*q*) Graaffio, contrarium licet contendat (*r*) Mauricaeus. Nec ancipites haereamus, ſed in Ovarii Hydropem inquiramus, cujus membranas ut pondere, ut dimenſione, auctas animadvertimus; in promptu cauſa eſt, quo magis enim vaſa ſanguifera explicentur, eo majorem adipiſcantur ſpiſſitudinem.

Molarum quoque numero eximenda eſt Ventoſa, quam ob moleſtiam, qua Matricem, non ſecus ac praecedentes, urget, improprie appellaverunt, haec enim pro Uterinis habenda eſt flatibus, qui haud raro mulieres aegerrime adficiunt, uti prae reliquis in alicujus Rhyparographi Lugduno Batavi uxore, quae utero flatus, ut ano crepitus excernebat, expertus ſum.

(*q*) Cap. VIII. de Partib. Generat. inſerv. mulier. (*r*) Traité des maladies des Femmes groſſes.

HYDROPIS OVARII HISTORIA.

Ipſis Calendis menſis ſeptembris ſeculi labentis anno duodecimo Guilhelmus Ellinkhuizius & Petrus Toutſaint Chirurgi Lugdunenſes cadaver Alidae ...... Virginis quadragenariae, Ovarii Hydrope extinctae, mecum luſtraverunt, & ſequentia digna notatu animadverterunt. Primo corpus ſuperius extenuatum, maximopere macrum, vitium Hydropicis commune, facies & pectus arida, mammillarum veſtigia vix reperienda, verae coſtae vel caecutienti, ut

numero, ut ordine diſtinguendae, ſpuriae cum Cartilagine Enſiforme extrorſum pulſae, haud ſecus conſpicuae; nec mirum! Abdomen enim latice turgens easdem ſurſum verſus coëgerat; neque hac labe Feminia, Crura, & Pedes immunia, ſed peſſime in ſuffocationem conſuluerunt; hinc praecordiorum anxietas, tuſſis, tandemque ipſa mors ſubſecuta fuit, *hiſce quippe Hydropicis ſupervenientibus*, adſtruente (*a*) Sene, *Lethale.*

Trium ulnarum cum octava parte Taeniae vix circumiverunt abdomen, quod variis regionibus excoriatum, circa Pudenda, jam Gangraena adfectum, ac Hydatidum agmine inſigni refertum erat, venis per integumenta corporis communia excurrentibus varicoſis, quibus reſciſſis, ſeroſus prodibat ſanguis.

Corporis tegmine reſecto, membranam adipoſam, praeter naturam auctam, ſpiſſa ac tenaci gelatina offendimus infarctam. Hac, non ſecus ac muſculis ſepoſitis, Abdomen intrantibus ſeſe Saccus, fuſco latice plenus, a ſiniſtro Ovario oriens, per Ventris cavum pari paſſu ambulans cum Peritonaeo, cui adnatus videbatur, nobis obtulit, continuitque in ſe ſtupendam liquoris menſuram, quo miſſo, mox crura flacceſcebant.

Oppoſiti lateris Ovarium rectiſſimi vultus, nec quid praeter naturam portendit: excepto Omento, quod gracile, & macilentum, flaventiſque coloris ſeſe ſiſtiterit, caetera viſcera ſana obſervavimus.

Nec praemoniti Sacci membranae menſurae adeo inſignis capaces minoris dimenſionis, ſed craſſae, tenſae, & maximae molis erant, qua conſtitit, easdem ſemel praeter naturam vaſis ſanguiferis rigatas, augeri in inmenſum, quemad-

(*a*) Aph. XXXV. Sect. VI. & XLVII. Sect. VII.

admodum in praecedente obſervatione de Mola monuimus; haec quippe proventum ſuum diſpergunt urgendo, donec circumjacentium reſiſtentia intra limites coërceantur, eoque loci motui imparia deponant, rapidiore ſanguinis circulum ſequente liquido; uti frequente tumore, quo Saccus recenſus ſcatuit, experti ſumus. Variae enim magnitudinis, hi pus concoctum & legitimum, illi cruentum laticem, alii adipis analogum receperant, non nulli triplici materia heterogenea, pure nempe, ſero & jure replebantur, quorum caterva, circulatione ſanguinis tandem impedita, miſeram extinxit.

DE ULCERIBUS.

Ulcus (*a*) ſolutio eſt continui in parte molli cum amiſſione ſubſtantiae, aut imminuta magnitudine partium nobiſcum naſcentium (*b*) purisque laticumve effluxu, ab eroſione ſumens originem.

Differunt a ſe invicem Ulcera primo figura, hoc enim illo majus, illud hoc minus, latius, longius, jam rectum iterum obliquum, aequale, inaequale, ſuperficiale, profundum, orbiculare.

Secundo ratione partis adfectae, haec quippe Cutem, corporisve Integumenta, illa Carnem, ſubinde Tendines, Nervos, Oculos, Naſum, caeteraque adfligunt.

Tertio a cauſis diſcrimen mutuantur, ac ſpecificas nomenclaturas adipiſcuntur, ab oſſe Carie infecto *Carioſum*, ab Empyemate, exulcerato Bubone, Phlegmone, membrana Muſculorum communi reliquisque noxiis productum, *Fiſtuloſum.* (*c*) a Vermibus, quod tamen raro, niſi fortuito ab inſectis aut muſcis eorum foetore ineſcatis, animadvertitur, (*d*) *Verminoſum.* Temporis tractu ac indies medicinam reſpuens *Vetuſtum* aut *Chronicum.* Ab humorum adfluxu imprimis (*e*) Varicibus, *Varicoſum*, a Cacochymia *Mali Moris*, nec ipſi Chirurgiae cedens, *Cacoëthes.* Ab acri Meliceria *Ichor*, ſeu *Ichoroſum.* Cutem quaquaverſum circumambulans, eam-

(*a*) Caſtell. Renovat. (*b*) Ambr. Paré XIII. Boek I. Hoofddeel. (*c*) Idem in eodem Libro Cap. VIII. & (*d*) Chr. A. Steeneveldt Diſſertatio de Ulcere Verminoſo ad G. Bidloum. (*e*) G. Bidloi Exercit. VI. decad. 1.

eamque profunde adficiens, *Depaſcens* aut *Phagadaena*, accedente mephitide *Noma*, ſi vero cutis ſuperficiem ſolam infeſtet, *Herpes*, eam erodat, *Herpes Corroſivus.*

Quarto a ſymptomatibus Ulcerum diſcrimina noſcuntur. Ab Exanthematibus, Papulis, Pruritu, quibus hoc dolorificum, illud pruriens, aliud intemperie moleſtum.

Denique ſanie ac ſordibus ſtipatum, *Sordidum*, malo corporis habitu, morbove judicato imperfecte, *Malignum.* A Putredine & ſaniei ad Naſum profluvio, *Ozaena.* A Lue Venera patratum, *Venereum.* A Foeda ſcabie, *Leproſum.*

Caeterum, quod Ulcerum nomina ſpectat, e ſuperius recitatis eorum adparet caterva, a fronte prima quippe dignoſcuntur cum Labiis duris, iiſdem exeſis, Oris inverſis, materia prodiente, eſchara ſeſe ſiſtente, pultiforme pure ei inhaerente, e quibus, vel me reticente, eorum ſigna adparent luculenter, unumquodque enim, vel Figura, Loco, Symptomate, evacuato Pure, Foetore, Nigredine, Oſſe ſubjecto, aut caetero manifeſtatur indice.

Horum cauſae antecedentes variae, externae a quolibet infortunio, Vulnere, Jctu, Caſu, Sectione, Punctura, Ambuſtione, Varicibus, Tumoribus Pedum Crurumque, frequenti Puerperio. Internae ab Eroſione, Laticum Acore, mala victus ratione, hinc pauperibus ignavorum & crudorum nutritione familiaria, ut & opulentis luxuriae ſordibus, queis ſucci nutritii depravantur, ſpirituoſorum uſu immodico, vita ſedentaria, tandem Baccho ac Venere, quae omnia exquiſitiſſimam diaetam, ac pro varia cauſa, requirunt indicationibus curativis propriam medelam.

Cauſa proxima eſt Continui ſolutio in parte corporis molliori, uti e definitione hujus Vitii adparet.

Prognoſis. Quo Ulcus recentius curae eſt facilioris, ve-

tuſtius difficilioris, profundius rotundum ac ſubcavum tardioris, humorum adfluxu, praecipue varicibus moleſtae, raro enim monente (*f*) Hippocrate coëunt. Si *Chronicum* ſemel iterumque ſanatum tamen uſque recurrat, jamve cicatrice obductum recrudeſcat, Mali Moris ſeu *Cacoëthe*. *Hydropicis facta ulcera in corpore*, ſecundum (*g*) Senem difficillimae curationis. Nervorum, Tendinum, Glandularum interarticularium a *Meliceria* producta plerumque inſanabilia, niſi iis ſuperveniat Anchyloſis, membro (*h*) rigeſcente. Quodlibet oras inverſas, & ſqualentes habens, ab *Ambuſtione* profunda, *Vulneribus* Thoraci, & Abdomini, ſclopetis inflictis, Uteri, Veſicae Urinariae, Perinaei, Scroti, quorum pus acre, tenue, ſordidum, foetens, obſcurum, nigricans infauſti, *album vero laeve & aequale*, *quam minime graveolens*, juxta (*i*) Hippocratis ſententiam, inter craſſum & fluidum, optimi ominis. *Inveterata* vix devincenda, quorum numero Ulcera *Carioſa*, *Circumglabra*, *Maligna*, (*k*) teſte Hippocrate, *Herpes Corroſivus*, *Noma*, *Fiſtulae Cancroſae*, vel ſub muſculis, tendinibus, cartilagine aut oſſibus repentes annumerandae; *ex oſſe* enim *aegrotante caro livida*, *malum* (*l*) docente eodem, quae, niſi ferro; aut igni morem gerant, incurubilia atque *Chironia* habenda, *Quae enim Medicamenta non ſanant*, *ea ferrum ſanat*, *Quae ferrum non ſanat*, *ea ignis ſanat*. *Quae vero ignis non* (*m*) *ſanat*, *ea* inquit Senex *inſanabilia exiſtimare oportet*. Qua regula excipiuntur *Venerea*, quae ut plurimum, niſi admodum inveterata, corporaque ſenilia adficiant, Mercurio obtemperant, a Pano Inguinali attamen cum pertinaciſſima, tum cu-

(*f*) Lib. de Ulceribus. (*g*) Aphor. VIII. Section. VI. (*h*) F. Hild. Tract. de Melicer. Celſi. (*i*) Libro de Praenot. (*k*) Aphor. IV. Section. VI. (*l*) Aphor. II. Section. VII. (*m*) Aphor. VI. Section. VIII.

curatu difficillima. *Carcinomatoſa*, *Cancroſa* mammellas obſidentia nunquam non lethifera; niſi in primis faſciis Chirurgia ſuffocentur.

Horum cura a variis vario modo inſtituitur, unguentis ab his, emplaſtris ab illis, abſorbente pulvere ab aliis, ſpirituoſis, Tincturis ac caeteris curativis indicationibus reſpondentibus, quibusque ſaepius, praecipue in planis nondum inveteratis voti fiunt compotes. Neutiquam vero iis quaelibet *Chronica*, *Carioſa*, *Maligna*, aut *Cacoëthica* auſcultant; examinemus itaque qualia requirat hoc varium ſemper & mutabile Medico Chirurgorum Opprobrium praeſidia?

Quodlibet promptam exigit medelam, quae ut plurimum a vulneribus relictis propterea recentibus praecipue planis contingit, quo vergat Natura modo ducatur, proprio enim ſuo pure, Sarcoſis vices gerente, curatur, in quo abſtergendo ſit parcus ac cautus Chirurgus, ne papillas carneas laedat, ſed epylotico poſt *Mundificationem*, uti vocant, conveniente iis proſpiciat, vel nimium propullulaſcentes Mercurio praecipitato rubello ſemel iterumque tepida abluto coërceat, linteo raſili muniat, faſciis ac ligaturis deinde religet, nihil enim ſiniſtri ab hujusmodi ulceribus, ut ſequela individua, praeſagiendum, nil renunciandum.

Haud ita morigerum Ulcus *Carioſum*, quemadmodum in Carie, Spina Venenoſa, Fiſtula Lachrymali, Maxillis dente putido corruptis experimur, quapropter ob (*n*) *diuturnum ulcus in obliqua linguae parte conſiderare oportet*, *an juxta ulceris partem acutior ſit*, quod medicamentis non minus quam Chirurgia corrigendum, mali foco quippe funditus exſtincto, Ulceris cauſa, brevi tollitur effectus; hinc integumen-

(*n*) Hippocr. Praenot. Lib. II.

gumentis communibus, ſi locus ferat, ſcalpello remotis aut diſſectis, ac haemorrhagia compoſita, oſſis ſejunctionem promoventia Cariei inſpergenda, adhibenda, *Fiſtulam Lachrymalem* ſolo Euphorbio cum oſſis Unguiformis ſeparatione ſe ſanaſſe teſtatur (*o*) Fabricius Hildanus; priusquam vero *Ægylops* in hanc degeneret, gladiolis ante diem, monente (*p*) Marco Aurelio Severino, aperienda, ne glandula Lachrymalis penitus exulceretur. Quibus remediis, niſi Ulcera obtemperent, igne caſtigare oportet.

Priusquam vero hoc tententur imprimis ſi majora, nec tamen fiſtuloſa fuerint, (*q*) cataplasma contra Gangraenam obſervatione de Inferioris Maxillae ſeparatione, exhibitum vel ſimile in uſum vocetur, qua indies abſque ullo alio paratu bis iis proſpiciatur, donec puris copiam evomant, mundificentur, oſſisque ſeparatio promoveatur, deinde ſequente decocto e ligno Guajaco, Corticibus Quercinis, Radicibus Ariſtolochiae rotundae, Iridis Florentinae, Herbis Scordii, Abrotani, Marrubii, Abſynthii vulgaris, Roſis rubris, Floribus Meliloti, tinctura Myrrhyna ac Melle Roſarum additis ſuſcipienda, quo madidis faſciis caeterum ligatura religentur. Raro huic remedii generi non auſcultant, craſin quippe fibrarum motricum augendo, putredini reſiſtendo, quaevis ignava in actum ducuntur, ac ſeparatio promovetur, corporis habita interna ratione.

Majorem pariunt nauſeam *Fiſtuloſa*, ſeu Abceſſu, Bubone, Phlegmone, Empyemate quolibet oboriantur, prae caeteris varios ſinus in parte principe habentia, vel ſub vaſis ſanguiferis majoribus, ac nervis excurrant, qua cauſa medicamina

(*o*) Centuriae V. Obſerv. XXII. (*p*) Medic. efficac. de Sectionibus Caput LXIX. (*q*) Pagina. XLVII.

na recuſant, ipſam Chirurgiam negligunt, ac in pejus degenerant. Si vero illorum latebrae ſolummodo integumenta corporis reſpiciant communia, ſcalpello quantocius tundantur, (*r*) *Si ſub profunda carne ulcus fuerit, ab ejus ore ſi fieri poterit ſecare oportet.* Quod facile ferunt, uti in aperiendis cloacis, Ani Fiſtulis non ultra (*s*) indicem Anum ingredientibus animadvertimus; quae apertae nil praeter munditiem, raſilis lintei impletionem, ac debitam requirunt religationem.

Quaeritur vero num tanti ponderis habitum Unguentum Felicis Wurſtii in pilularum formam redactum curandis Fiſtulis ſit par, aut impar? num laudatiſſima Aqua Phagadaenica e Calce viva & ſublimati Corroſivi aliquot granis parata has, licet pedales, ſanandi, quam attribuunt, qui de magnis majora loquuntur, facultatem habeat, nec ne? cum priori tum poſteriori varias vidiſſe ſanatas meminiſſe juvat, neutiquam vero profundas ſub cartilagine, oſſe, caeteriſque repentes; minus in ulceribus calloſis, quae potius ferrum & ignem, monente (*t*) Laurentio Heiſtero requirunt. In promptu cauſa eſt, ulcerum enim anguſtia, ac fotu puris augetur ſecretio, quae niſi ſupprimatur, ac foruli calloſi radantur, irritus labor, eorumque moroſitas ferro candente corrigenda, niſi conſpicua Arteria, Nervus vel locus adfectus contrarium imperet; quaslibet enim Abdominis, aut Thoracis a ſclopetorum ictibus inurere Fiſtulas, ſaperet potius temerarium, quam Medico Chirurgum. Hinc ratius easdem, nec non ab Ambuſtione profunda, Uteri, Veſicae Urinariae, Perinaei ac Scroti pertinaces linquere convenit.

Fa-

(*r*) Hippocr. Lib. de Ulceribus. (*s*) R. J. C. de Garengeot Taité des Operat. Chirurg. Tom. Second. Art. II. de L' Operat. de fiſtul. de L' Anus. (*t*) Het V. Boek des I. Deel.

Facilius ulcera plana, licet vetuſta cum labiis duris, oris inverſis, nigredine ac ſordibus ſqualentia domantur, quibus, ſi Nervis ac Arteriis vacent, ſequentis pulveris quantum ſatis ad ſuperficiem obtegendam inſpergatur, quo eſchara in poſterum ſeparanda, inducatur, ac pituitoſum iis inhaerens expurgetur, quo ſejuncto iterum ac tertium adhibeatur. Accipe Mercurii praecipitati non abluti unam, Alumins uſti dimidiam, Vitrioli Cyprini tertiam partem, dum cruſtae illatae ſeparationi ſtudeatur cataplaſmate ſuperius praeſcripto, corpuſque cathartico, e Mercurio dulci purgetur, victuſque habeatur ratio, quibus haec reſpuentibus ſalivatione ſuccurrendum, (v) quae, uti mox laudatus auctor recte monet, ſaepe ſaepius Medicorum fini ſatisfacit; niſi anguis in herba latuerit, in fiſtuloſis enim ferrum requirentibus docente (x) eodem, haud tantae efficaciae, quam in Chronicis, Venereis, ac a foeda ſcabie oriundis, poſtremis, ſi fides Leproſcopis habenda, affinibus.

Nec raro omnem lapidem in curandis *Varicoſis* movemus, nihilominus parum promovemus, humorum enim adfluxu madent continuo, puriſque legitimi turbatur ſeparatio; quapropter, niſi admodum frequentes, ac majores, ſimul & ſemel exſecandi Varices, adhibito quippe quocumque labore hujuſmodi ulcus coalitum iri deſperandum omnino, cui encheireſi ſi locus non concedatur, ſcalpello aut ſcarificatu (y) *ipſum Varicem alias atque alias compungere oportet*, caeterum ei recte proſpicere, neutiquam morem gerentem (z) inurere: Hoc vitio ut plurimum crebro puerperio urgentur mulieres, jam ad crura, iterum ad feminia, interdum ad utraque, hinc ſaepius incurabile ac cura

(v) Idem ibidem. (x) Idem ibidem. (y) Hippocr. Lib. de Ulceribus. (z) M. A. Severinus de Medicin. efficaci part. II.

ra palliativa ſuſcipiendum, inſtar *Carcinomatis*, *Ulceris Cancroſi*, ejusdem tituli *Fiſtularum* & *Noli Me Tangere.* Haec enim tentare, movere, eorumve curationi ſtudere, eſſet cum Naidibus aquam haurire.

Peſſimae quoque indolis integumenta corporis ac carnem depaſcens *Phagadaena* nulli medio, nulli Chirurgiae cedens, nec inter limites indies vitioſior coërcenda, quae cum *Noma* ulcere a Voracitate nomen, & omen habet.

Nec pluribus impar (*a*) *Herpes Corroſivus* cuniculos patrans, hinc non inſulſe eundem Vermem vocaverunt, ac more Myrmeciarum potius exſcindendus quam inurendus, nullum enim poſt Carcinoma ulcus inſolentius & pertinacius, quapropter in ipſis cunis (*b*) lima peculiari radendum, ne in dirum & inexorabile degeneret *Telephium*. Herpes vero ſolummodo cutis ſuperficiem reſpiciens, nec altas adhucdum egerit radices, refrigerantibus, abſorbentibus, Aceto, Aquae Calcis, (*c*) Phagadaenae, Saccharo Saturni caeteriſque obtemperat requiſitis. (*d*) *Herpetes autem minime omnium ulcerum, quae depaſcendo proſerpunt periculoſi.*

Caeterum ulcerum curandorum poſt Hippocratem methodum videre eſt apud Fabricium Hildanum, (*e*) Marcum Aurelium Severinum (*f*) Guidonem de Gauliaco (*g*) Franciſcum Theveninum, caeterosque, Antiquorum veſtigia prementes, qui Ulcera cauterio caſtigaverunt, ac illorum furorem refraenaverunt.

Nec plane abolevit haec curandi methodus: memini quippe

(*a*) Eſthiomenos. (*b*) M. A. Severinus de ſection. cap. LIV. (*c*) Cours de Chymie par N. L'Emery. (*d*) Hippoc. Lib. praedictor. II. (*e*) Pyrotechn. Chirurg. Lib. II. part. 1. (*f*) Chirurgia Magna Tract. IV. Doct. 1. cap. 1. (*g*) Les Oeuvres des Operations de Chirurgie.

pe Patrem narraſſe ſaepius, ſe quondam Groninganum habuiſſe Diſcipulum Cyprianum Felbier nomine, ipſumque, poſtquam per aliquot annos Praxin Chirurgicam in Ommelandis Groningani Dominii exercuiſſet, ac iterum per Hollandiam peregrinatus, grati animi cauſa, antiquum praeceptorem conveniens, ſe quaelibet ulcera abſque diſcrimine cautere concoquere, & funditus inurere tandem ſanare retuliſſe, ipſumque iſtius Regionis Incolas Uſtorem vocare, ac horum neminem non hoc vitio adfectum Cito, ac Tuto, Jucunde [dubitandum] Bene curaſſe.

Quid mihi contigerit non erubeſco fateri. Suſcepi ab hinc viginti & aliquot annos vetuſtum ulcus curatum, quo Magtilda Cornelii Filia pagana diu circa tibiam laboraverat, quaelibet pharmaca reſpuente, donec antiquorum veſtigiis & ſtimulis incitatus, cauterio plagam funditus emendaverim, brevique cicatrice obduxerim.

Abhorrent equidem ab hac carnificina adflicti, modo ſpes altera ſanandi ſuperſit! quibuslibet enim vero in medium productis incaſſum, duro nodo durus abhibendus eſt cuneus, quo ſaepius ulcera domavi, coërcui.

Venereum, niſi valde vetuſtum ac corpus ſenile adfligens, aut cum organorum, praecipue Seminis, Urinarumque ſecretioni inſervientium diminutione, Salivationi nunquam non auſcultat. Quae ut recte inſtituatur, corpus crebro tepidae cum hordeo mundato coctae hauſtu in anteceſſum rigandum; deinceps vicibus interpolatis Mercurii ſublimati dulcis, Electuario Diaſcordii Fracaſtorei, aut conſervae Roſarum rubrarum aliquot grana immixta, pone quinque, ſex, ad decem uſque ter indies, vel pro ſymptomatum, aut Decumbentis ratione propinanda, ſuperbibendo lac dulce cum pari aquae communis menſura concoctum, quo crebrius eo melius, donec ſaliva juſta profluat copia; quam tamen, ne

ne nimia quantitate adflictum debilitet, aut poſtea ei Maraſmum adferat, enervem, aridumve peſſundet, moderare oportet. Nec tantum his ſtudendum, etiam Linguae, ac Faucibus, Labiis Gingivae & Dentibus, ne Eſcharae profundiores excitentur, hinc fontium ſalivalium orificia nimium dilatentur, indeque in poſterum incurabilis Ptyalismus provocetur, proſpiciendum. Quamobrem Mercurius ter, quater, aut quinquies ſublimandus, ac potius parciori, quam largiori, aut ſimul, ſemelque, doſi exhibendus. Inſuper confortante & placide refrigerante oris collutione temperandus aeſtus, quae ex aqua Sambuci, Roſarum, Cinnamomi & Melle Roſarum parata, tepide porrigenda, quaelibet enim frigida huic morbo, ut & omni Ulceri nocentia ac Paralyſi inducendae paria, teſte (*h*) Sene. Ulceribus externis merum, ſeu unguento defenſivo munitum linteum, his enim Mercurius, abſque alio auxilio, ſatis ſuperque medetur, ſufficit abunde.

Sunt qui ſuo Arcano Corallino, Mercurio praecipitato rubello Luis Venereae curationem auſpicantur. Nonnulli ſe hos Tineoſos abſque ullo diſcrimine ſtantes & ambulantes, uti vocant, ſanare contendunt; cedo; nec horum arcanum myrotheciumve ſcrutabor ullius, minus amplectar ſententiam, quia me veſtigia terrent, ob non rarum hac medendi methodo ſuſceptum, in poſterum diriſſimis adflictum ſymptomatibus, de quo phoenomeno colligo, Mercurii per os adſumpti, vel ab Jatralypta articulis illiniti, ac nullo vitae regimine moderati actum fuiſſe turbatum, poſtea glandulis inhaerentem acorem adſciviſſe, easdem roſiſſe, ac liquidorum legitimam ſecretionem ſufflaminaſſe; quemadmodum imprimis in Artifice quodam, cujus nomini parcendum, obſervavi, cui, hoc modo curatum ſuſcepto poſtea os incepit foetere, corpus

(*h*) Aphorism. XX. Sect. v.

pus doloribus urgeri, cum ſumma praecordiorum anxietate, quam Ventris & Hypochondriorum intumeſcentia, induratio ac tormina ſecuta, donec ſtamine nondum abrupto, animam exhalaverit.

Easdem noxias in iis, qui provectioris ſunt aetatis, experimur, vel a legitime propinato Mercurio, hic enim, ut ipſa Venus corpora ſucculenta & Juvenilia diligit, quorum vaſa flexibiliora ſibi operanti, ut veloci, ut ponderoſo cedant facilius, ac aditum ad minutiſſimas permeandas ramificationes praebeant; ad quas in jam ſenectutem agentibus non ita facile pervenire poteſt, hincque illis Tophi in capite, aut aliis corporis partibus oboriuntur, & propterea potius Catharticis admixtis Mercurialibus purgandi, decoctis e Lignis, Radicibus exoticis & noſtratum Antiſcorbuticis, ne lupanari Teredine penitius rodantur, ſuſtentandi; nec delinquente Mercurio, primo Capite doleant, deinde Vertiginoſi, tandem Phrenitici evadant, donec foras e corpore eliminetur, ſin ſecus moriantur.

Quibus vero Mercurii virtute miaſma Venereum ad Glandulas Inteſtinales determinandi ac evincendi arriſerit methodus *(i)* Jacobum Vercellonum volvant, verſentque, num in hiſce regionibus, quae Auctor Aſtae, praeſtare valeant?

(i) De Pudend. morbis & Lue Venerea tetrabiblion.

EXULCERATI PERINAEI HISTORIA.

Quae Poſtliminio redeunt bona nunquam non ſereno, triſti perpetim quondam ſanati morbi recidivae recipiuntur vultu.

Gual-

Gualterus Genen adoleſcens aeger ulcere Perinaei, vindicatus licet ab illo, Juvenis matrimonium inivit, ſed propter rem domi anguſtam Foederati Belgii Caſtra Anno CIƆIƆCCVIII ſecutus, flagrante Inſularum obſidione in foſſa militari glande plumbea e catapulta onuſta pulvere pyrio exploſa, circa Zonam a fimbria oſſis Ilii uſque in Lineam Albam Peritonaeo tenus, Ventris integumenta turpiter lacerante, vulneratur, in Caſtrenſe hoſpitium locatur, brevi curatur, ac Penates viſum rediit: non vero ſine antiqui vitii ſummo diſcrimine; quaevis enim incommoda ferenti, crudis paſto, tandem ſaucio ſupervenere febres, fiſtuloſi ulceris ſtigmata, quocum luctatus fuerat antea, reſerantes, imo Militem diriori cruciatu agitantes, totumque Urinarum Seminiſque ſecretioni dicatum Organum perturbantes, ut vix quid reliqui ſine labe: hinc dolor ingens reddituro Lotium, quod album, purulentum, tenax, membranis refertum, redolens ſal lixivioſum, acriter nares feriens, cujus circiter dimidium per Penem, mox, inſtar roris, per Perinaeum tertium per Anum ſubinde tanto cum conamine, ut ſemen non minus, quam faeces foras eliminarentur, tandem per alterutrum Natium conum protrudebatur; Phaenomena horrenda, medius fidius ominis infauſti! ſanando, primo adſpectu, ſemitas praecludentia, nulla priſtinae valetudinis proſperae recuperandae ſpe ſuperſtite homini enervo, pallido ac arido, Diaeta tamen, Medica manu, praeſide Natura, inſtaurato, ab alea ancipiti redempto.

Victus ratione quaevis ex Hordeo, Milio, Pane, Juſculis, Lacte dulci, Cereviſia recente & pingui commendavimus; medicamentorum incidentium, attenuantium, Urinas blande moventium, e Radicibus, Lignis, Herbis, Seminibus, Oleis, Balſamis naturalibus, vel arte compoſitis

pro re nata petitorum varia exhibuimus, Medica encheireſi interim vocata in auxilium.

Ulcus quodlibet horum forfice vel ſcalpello reſecuimus, aditumque mediis praebuimus, fornicemque calloſum abſtergentibus funditus purgavimus, deinde Sarcoticis munivimus; donec cicatrice obduceretur; hiſce indicationibus non minus Unguento Felicis Wurſtii inſerviente, quam Praecipitato rubro ancillante, cum Perinaei Ulceribus debellatum eſt.

Deinceps ſpeculae per apicem Clunis in Rectum Inteſtinum hianti, omnium ſinuum ultimo proſpeximus, quo ſimiliter curato, in integrum reſtitutus Homo; ut, qui primo ſcipionibus innitens gradus ſtabiliverat, recte incederet, iiſque jam inutilibus rejectis, Lugduno Batavorum Hagam Comitis, Tempe Foſſis Caſtrenſibus amoeniora, ſtipendium acceptum, plus ſemel profectus fuerit pedes.

ULCERIS FISTULOSI PERTINACISSIMI MEMORIA.

Virgo viginti quatuor annos nata Tumorem in Oſſis Sterni parte ſuperiori ſub Claviculis ſibi adſcivit, qui ut Chronicus per triennium ignavum, tandem vero ineunte labentis ſeculi anno quadrageſimo agreſtem agens, & ruptus materiem ſanguineopurulentam evomuit, varioſque ſinus cum ſuperius tum inferius, maximum vero dextrorſum Axillas verſum reliquit.

Hujus vitii primam labem in ipſis faſciis ſupprimere quolibet modo Simon Toutſaint Chirurgus mecum ſudavit, parum vero promovimus, immo in pejus ceſſit noxia, ſuper-

perbiens ejus facies externa hyperſarcoſi, labia nihilominus contrahebantur, integumenta corporis communia cavernoſa tamen, quae in longitudinem forfice reſecuimus, qua encheireſi brevi ſiniſtrorſum excurrens ſinus repletus, ac ſubjacentibus fuerit junctus; dextroſum vero Axillam reſpiciens antiquum obtinuit morem, ſpecillum tam in longum, quam profundum, vel ipſo ſub Coſtarum Chondro, admiſit, omnemque Chirurgiam ferrum & ignem, ob locum adfectum reſpuit. Quamobrem nullis non mediis, jam aperientibus, iterum abſtergentibus, confortantibus caeterisque foveam emendare meditati ſumus; irriti vero labores! pus quippe, licet jam laudabile, craſſum, album & aequale, mox tenue, lacteum, acre, varium & mutabile. Donec tandem ſequentibus ei attulimus ſuppetias.

Ligni Guajaci cepimus duas, Corticum Quercinorum, unciolam, quibus in ſufficiente quantitate aquae communis per noctem maceratis poſtridieque per ſesqui horam coctis, addidimus herbarum Marrubii, Abſynthii, Serpilli, Rorismarini, Roſarum rubrarum ſingularum manipulum, ac poſt levem ebullitionem colaturae fortiter expreſſae librae immiſcuimus Mellis Roſarum unam, Tincturae Myrrhynae Spiritus Matricalis ſingulorum ſeſqui unciam; queis Syphone injectis tandem auſcultavit pertinax malum, carnis luxuries compoſita, cicatrix inducta, Virgoque pridie Iduum Septembris anni quadrageſimi hujus ſeculi ab atroci vitio redempta.

HERPETIS ESTHIOMENI, SEU CORROSIVI EXEMPLUM MEMORABILE.

Hoc morbo contumaci inexplebilis heluonis ſobole filiolam ſeptennem adfectam quondam vidiſſe memini, oriente a Naſo, occidente ad Aurem ſiniſtram, tanto cum puris effluxu & carnis eroſione, ut Facies foedaretur turpiſſime, donec indies depaſcens, Lupi rapacis inſtar, Naſum oſſetenus & Genas in Collum uſque devoraverit, ac tandem extinxerit miſellam.

Quovis modo vitium tentavimus, jam e Mercurio praeparatis, iterum Acidum temperantibus, denuo Aceto, aqua Calcis, Phagedaena, ſimilibusque, neutiquam latices corrigentibus neglectis, quibuslibet vero incaſſum adhibitis.

Hujusmodi adfectus poſtea ſpeciem praecedente mitiorem obſervavi, quae, poſtquam integumenta depaverat, ultro ſiccabatur, mox vero adjacentes ſua labe inficiebat partes, quo equidem diutius mortem diſtulerit, ſed tandem exſuccus ac enervis Homo oneri ſuccubuerit, ac naturae debita perſolverit.

Morbus aetati puerili familiaris magis, quam adultioribus, quamobrem in his minorem quam in illis, ob carnis mollitiem, exerceat tyrannidem, quae mediis raro vel nunquam obtemperat & propterea, uti in (*a*) praecedentibus monuimus, exſecandus, vel ſecundum Avicennae ſententiam exterebrandus. Utile conſilium! modo abſque ulla cunctatione ab initio in cunis ſuffocetur vitium; ſi enim poſt Carcinoma nullum attrocius, funditus auferatur oportet, ne pars ſincera trahatur, quae, ut plurimum Vultus, poſtea turpetur, nec de Naſo Faciei ludatur decore, Naſutis aeque

(*a*) Pag. 87.

que ac Reſimis neceſſario. Qua Chirurgia peracta, num ſalivatio huic morbo congruat? latices corporis ea corrigendo, ne in poſterum eodem urgeretur adflictus vitio? eruditi Lectoris diquiſitioni relinquo. Cujus praeſidii Mercurius ſit morbis Cutaneis a Pſora, faeda Scabie, Impetigineque oriundis, nullus ignorat. Quantum emolumenti a Mercurio ceperint Tineoſi plus ſemel expertus ſum, vel in iis, qui jam capillitii evulſionis damnati, quorum detonſa coma, Favis Achoribuſque pure purgatis, ſequente ſuccurri medicamine.

Recipe Mercurii e Cinnabare redivivi aquae Fortis ſufficiente quantitate extincti uncias duas, quae lento in fictili vaſe evaporentur igne, ſpatulaque moveantur lignea, donec liquidi Mellis adipiſcantur conſiſtentiam, quum iis axungiae Porcinae membranulis purgatae addantur unciae viginti per vices & paulatim, ac placide inter agitandum ad tabellarum duritiem coquantur, deinde in lembos chartaceos gelida ſaturos marmorique gelido impoſitos effundantur; uſus ſequens eſto.

Hujus maſſae liqueſcat parum indiesque bis inungatur Ulcuſculis, quae mitra e veſica Porcina vel concinnata Vaccina tegenda. Interim, detonſa Coma echino totum quantum caput poſtquam ſemel iterumque fuerit inunctum, ac ſapone Veneto ablutum linteo abſterſum calido, atterendum, methodoque praeſcripta unguento muniendum. Alterno veſpere ſequentium pulverum unicum adſumat aeger.

Recipe Florum Sulphuris dragmam, Baccarum Lauri, Radicis Ariſtolochiae Fabaceae ſingularum ſcrupulos duos, Oculorum Cancrorum, Antimonii Diaphoretici dragmam dimidiam ſingulorum, Mercurii dulcis decem granula, quae invicem miſceantur, ac pro pueris in decem, pro aetate provectioribus in ſeptem vel octo dividantur doſes aequales,

queis

queis pro re nata Mercurius addendus, quo ſaepius, admixtis catharcticis, purgandus eſt adflictus.

Si alicui, certo huic morbo convenit diaeta legitima ſerio & ſedulo ut corporis munditie, ut victus ratione putanda. Prae caeteris dapibus, ſe carne ſuilla abſtineant, nec piſcibus veſcantur planis, ſeu Fluviatilibus, ſeu fundo editis Marino, exulet caſeus, adeps, difficilia digeſtu quaelibet, ſpirituoſa, cereviſia vetuſta, ac ſanguinem irritantia ejusve motum morantia, eique lentorem inducentia. Ad petant juſcula cum refrigerante olere cocta, Panem, Hordeum mundatum, Oryzam, Milium, fructus maturos recentes & conditos, pro ut quemque ſua ſequitur culina. Potus ſit recens ac tenuis cereviſia, qua tamen communis aqua praeſtantior, magis diluens, ac acidum temperans quod in hoc morbo corroſivum agit, & propterea potu frequenti obtundendum; nil enim Gelida melius, nec adeo abſorbens, hac enim aeſtus refrigeratur, materia peccans demulcetur, tandemque e corpore eliminatur.

TUMOR OCULI ET PALPEBRAE CANCROSUS.

Arnoldus van der Plas bonae frugi homo, valetudine utens perfecta quinquagenarius Anno CIↃIↃCCXXVI conqueſtus fuit de ſiniſtri oculi dolore, quando eundem pruritus ergo, vel leviter digitis fricaret, trimeſtri ſpatio exacerbeſcuit indies cruciatus, ſeſeque durus, lividus, inaequalis, & digitorum tactui reſiſtens tumor in ſuperiori Maxilla prope Canthum Oculi maiorem & Naſum exaltavit, ad omnem dimenſionem luxurians, ruptus ejaculavit Ichorem,

rem, qui vicinias Genae contagio ſuo conſpurcavit, Faciemque dimidiatam turpiſſime foedavit: tamen ultra pergere tendit, ac variis monticulis, & Hyperſarcoſi ſuperbiente, Ulceribus Malignis, non rara ſanguinis ſuſpecta effuſione, foetore inſeparabili comite tantopere prorepens, ut atrox Venenum, poſtquam machinam oculi contaminaverat, tandem integerrime deſtruxerat, mox totam expulſerit, Naſum ac Labia Oris dextrorſum contorſerit, faciem adſpectu torvam, miſerumque luſcum reddiderit.

Simon Toutſaint Chirurgus hunc mecum conveniens circa Autumnum Anni CIↃIↃCCXXXVII rem ad triarios eſſe redactam judicavit; ambo itaque monitu, cum (*a*) Galeni, tum (*b*) Fabricii Hildani *Cancros non eſſe irritandos emollientibus, nedum pinguedinoſis* cauti; ſed putredini reſiſtere ſtudendum, nulla non tentavimus; incaſſum vero! de vitio enim in vitium, de flamma ceſſit in ignem; ſubjacens Os ſine ullo dubio carioſum omnem luſit operam, nihilque, Gypſo excepto, admiſit, quo filamentis inſperſo frequentes Haemorrhagias, & contumacem ſaniem utcunque fraenavimus, tandemque, praemiſſo prognoſtico, huic palliationi ferinum commendavimus malum: urgentibus vero indies ſymptomatibus, haud diu verſatilem vitae ſcenam claudentem diſtulit mortem.

Forſitan, [non equidem auſus ſum adſeverare] ſi Tuberculum, primus vitii index, ſcalpello fuiſſet reſectum, ac congruis ei medicamentis proſpectum, metus expers evaſiſſet, uti (*c*) Marci Aurelii Severini Cancri Palpebrae, ac Temporum hiſtoria, *Nihil ſubinde melius, quam & ſcalpro exſcindere radicitus, & exurere*, nec non (*d*) Fabritius Hil-

(*a*) De Simplic. Medicam. Facultatib. Lib. V. (*b*) Centur. I. Obſerv. LXXXIX. (*c*) Pyrotech. Chirurg. Lib. II. Cap. XXIX. (*d*) Centuriae I. Obſervat. 1.

Hildanus teſtatur. Immo nequaquam (*e*) Poſteris deſunt exempla, totum oculum quondam oſſea orbita *cum felici eventu, ne vel aliquod Ulcus, Fiſtula, aut Caries poſt ſe reliquerit*, fuiſſe exciſum, modo ſumma ſedulitate utamur, ac premamus veſtigia ſagaciſſimi (*f*) Chirurgi, cujus intrepida manus, Comite prudentia & conſilio, pari paſſu nunquam non cum impavido ambulabat animo.

(*e*) G. Bidloi Excercitat. VII. Decadis I. de Oculo purulento.
(*f*) G. Bidloi.

LENTIS CRYSTALLINAE EX OCULO EXPULSIO.

Ipſis Calendis menſis Maji Anno CIↃIↃCCXLII me convenit Lugdunenſis mulier, quatuor circiter hebdomadum puerpera, petens examinarem infantis ſui Ophthalmia laborantes oculos; cui examini quum me accingerem, illa religationis paratum ſolveret, puſilli oculo excidit Lens Cryſtallina integerrime diaphana, in quam, ob rei infrequentiam, penitius inquiſivi; vix enim mihi perſuadere valebam, Corneam oculi membranam, ſine praevia ſuppuratione, laeſione externa, caſu, aut infortunio rupturae obnoxiam, quam nihiloſecius fiſſam experiebar, bulbumque oculi in orbita defoſſum. Quapropter ſententiam rogatus caſum lugubrem per ſe inſanabilem, ac de viſu actum, nec puſillum, ulla arte a coecitate iſtius Oculi adſerendum renunciavi.

Lentes Cryſtallinas a praegrediente Oculi Cancro exploſas ante hac ſemel iterumque una cum Wilhelmo Ellinkhui-

zio

zio mihi videre contigit, eaſdem vero repperi opacas, atque omnimodo ſuam diaphanitatem amiſiſſe, vel in hanc praecedente animadverſione obſervavi.

CONSPICUI TUMORIS, SUPERVENIENTE GANGRAENA, IN FOETIDUM ULCUS DEGENERATI MEMORIA.

Humani corporis hanc illamve machinam, ſubinde praeter naturam expandi, inflammari, ac in Tumorem Abſceſſum mentientem, extolli, ut neutiquam, vel artis peritiſſimi eundem pure turgidum non modo dubitarent, verum etiam ſcalpello pertundere artis judicarent; quum e contra rerum eventus nequaquam in ſe vel ſua cloaca quid materiei continere doceat luculenter, ſubinde experimur.

Hujusmodi Tumore Bernardus Sys in Xenodochio Sanctae Catharinae conviva labentis ſeculi quadrageſimo primo, ſuae aetatis ſexageſimo adfligitur, cum exquiſitiſſimo dolore, ac circumjacentium partium, ut inguinis ſiniſtri intenſa inflammatione, febre continua, caeterisque hujus generis ſymptomatibus, futuri Empyematis, ut plurimum indicibus. Quamobrem Carolus Gervais Chirurgus dexterrimus eundem tundendum judicavit, & equidem recte; quum vero poſtridie detumuerat Tumor ſententiam mutavit, eique emolliente Cataplaſmate proſpexit, animadvertitque, eundem ſiniſtri quid portendere, quin immo vergere in Gangraenam, hinc ſatius, ſi quae materies intus haereret, ne forte fortuna Abdominis cavum ingrederetur, eandem cau-

ſtico elicere foras congruum duxit. Quo Eſchara facta eſt, nil puris exploſum; integumenta vero corporis communia, una cum Abdominis Muſculis circa Inguinis ſiniſtri regionem in Syderationem ruerunt orbicularem ſeſqui palmarem, indeque in Perinaeum duos digitos latam excurrentem, qua, ſuperveniente pure, macerata, Inteſtinum Colum repperit adfectum, faeces eructans graveolentes & ſtercoreas. Queis rite perpenſis, Tumorem ab inflammatione Inteſtini Coli duxiſſe livorem experti ſumus.

Gangraena vitiatas ſeparari curavimus linteo raſili tinctura Myrrhyna & melle Roſarum ſaturo, ſuperimpoſito putredini reſiſtente Cataplaſmate, quorum efficacia brevi a ſordibus purgatae fuerunt; nequaquam ab ulcere profundo non minus quam auguſto adſertae; nec mirum! ob continuum excrementorum effluxum, qui cuilibet plagae cum medentium nauſea remoram parit, nec raro ſtercoream in Abdomine relinquit fiſtulam, niſi Naturae praeſidio, ac ſumma Medicorum ſedulitate lacerae ſuppuratione machinae conſolidando redintegrentur, quod non equidem in quolibet caſu adfatim votis reſpondet; prae caeteris, ſi ulceris labia calloſa, aut nimium indurata abſtergentibus morem gerere recuſent: quapropter eadem exaſperare, ac cauſticis caſtigare convenit, deinceps cloacam linteo carpto implere, caeterum faſciis & ligaturis eidem proſpicere oportet. Quibus medelis, habita corporis, ejuſque victus ratione ſubinde inſtaurantur adflicti, quemadmodum iterum in hoc ſexagenario obſervare licuit.

Ante octennium enim ad dextrum Inguen eodem aeger vitio, cujus focus non ſecus ac jam jam recitati ab Inteſtinorum inflammatione, cum vix credibili anxietate, vomitu, perpetua febre, ac diris ſymptomatibus originem duxerat; Naturae tamen molimine, arteque duce, integerri-

me

me fuit adſertus, abſque naturalis ingeſtorum excretionis per Anum ulla perturbatione.

Felix equidem adfectus infauta minitantis cataſtropha! quoties enim hujusmodi ſuppurationes in faediſſimas degenerant fiſtulas atque perennes, oeconomiam animalem peſſime laedentes, queis in poſterum adflicti neutiquam alvum per Anum exonerant, ſed ejus faeces in pelves corpori cingulo aut zona adpoſitas recipere coguntur; uti ab hinc aliquot annos Lugduni Batavorum in peregrino quodam mihi animadvertere contigit, cui excrementa per aniformem fiſtulam ſiniſtro inguine ſuperiorem, non per podicem foras eliminabantur.

Tumores inflammationi originem ſuam debentes inopinatos nonnunquam ſubire caſus, nos eorumdem docet exitus, quilibet vel diſſipatur reſolvendo obſtructionem cauſam antecedentem, vel ſuppuratione purisve vomitu, vel ſectione, qua ſua materia levatur, ſin ſecus induratur; niſi, licet raro, ſuum contentum pus inſtar roris per integumentorum corporis communium praeter naturam dilatatos evacuet poros.

ULCERIS CUM LABIIS DURIS, ORIS INVERSIS, COMITE VIX CREDIBILI INTUMESCENTIA EXEMPLUM.

Ulcera raro, niſi vel Ambuſtione conſpicua, vel Oſſe carioſo ei ſubjacente, vel Spina Venenoſa, Meliceria, Ichoreve producta, membranam Celluloſam penetrare, Medico Chirurgis in comperto eſt; ſubjacentes vero ma-

chinas in conſenſum trahi, non eſt, quod dubitemus; praecipue, quum adfectum Organum omni modo propriam ſuam amittat conformationem, venuſtatem, ſive jam Atrophia extenuetur, vel ſuperveniente praeternaturali tumore augeatur ulceroſo.

Hujusmodi Ulcus Anno labentis ſeculi XXXIX in egeno quodam adſpectu horridum obſervare mihi contigit, non tantum cum labiis duris, calloſis prodigioſe expanſis, quaquaverſum excurrentibus ſuperbiens, totumque crus inferius turpiſſime defoedans; ſed in tantam explicans molem, ut potius Elephantis, quam hominis recte formati computaſſes, eumque laborare (*a*) *Elephantico morbo*, qui *eſt Apoſtema melancholicum, quod in cruribus fit, & pedibus. Et ejus ſignum eſt, quod pedis figurae Elephantis ſimilis ſit, aequalis & non diverſa.* Quum quoque ab aliis pro Tumore pedum ulceroſo ac maligno Arabibus familiari habetur.

Mirabar objectum! magis vero ipſius noxiae religationis adparatum! cui nullo, praeter unguentum Baſilicum, fuerat proſpectum medicamine. Quum nos cum ratio, tum ipſa experientia ignavos, inertes, ſtagnantesque latices efficaciori medicina in actum ducere doceat luculenter! ne, delinquente Natura, pars quoque illaeſa contrahat livorem, Gangraenam, aut tandem integerrime Sphacelo ſuffocetur. Recte equidem (*b*) Magnus Cous cataplasmata motum augentia praecipit, quorum fotu quaelibet agitantur, hinc *pus decedat, & quae indurata ſunt molliantur*, laticum promoveatur ſeparatio, tandem inhaerentes Ulceribus explodantur Eſcharae.

Quid

(*a*) J. P. Ingraſſiae de Tumor. praet. Nat. Tract. (*b*) Hippocr. Lib. de Ulceribus.

Quid boni Unguentum Baſilicum? quid pinguedinoſa huic generi adfectus adferent frugis? ſi quaeras! expediam. Adjacentium nondumque eadem tactarum urtica partium obſtructionem, expanſionem, ſtagnantisque materiei jam vel in profundam Eſcharam converſae infarctionem majorem. Quibus, in Chirurgica trutina poſitis, neutiquam pinguedinoſis, ſed recitatis ab antiquitate praeceptis mederi convenit auxiliis. (*c*) *Pinguia* quippe *ad inflammata non conducunt*, *neque ad ea*, *quae non ſunt purgata*, *neque ad putreſcentia.* Ab hac vero diſciplina deſuefactos & alienos Tertius Cato revocet Coelo demiſſus ab alto!

(*c*) Hippocr. Lib. de Adfectionibus.

CONSPICUI TUMORIS CARCINOMATOSI E VARIIS TUBERCULIS CONGLOMERATI CAESURA.

Ruricola prope Lugdunum Batavorum ſibi abſque manifeſta cauſa & pedetentim abhinc aliquot annos ad Crus ſuperius extrorſum ſupra Genu contraxit Tuberculum, paucique habuit; quum vero deinceps indies augmentum caperet, atque in varias Protuberantias ſeſe explicuiſſet, tandemque inferius verſum in Carcinoma ſaniem fundens ſubcruentam degeneraſſet, hinc ipſi ob molem & peſſimum foetorem moleſtum, Medicam manum in auxilium vocavit, monituque doctiſſimi Medici Hermani Van Dinter, Extirpationem, ſecundum artis Chirurgicae leges adhortantis, meum quoque collegit ſuffragium.

Exa-

Examinato Tumore, partibusque circumjacentibus rite perpenſis, eundem quantocius ferro abrumpendum renunciavi, ac decimo ſexto Calendarum Octobris labentis ſeculi Anno XLII ejus pedunculo numella prehenſo, cultro lunari ſimul & ſemel ad muſculos uſque ſuſtulimus, vulnusque inflictum Simoni Toutſaint Chirurgo curatum commiſimus.

Extirpatum Tumorem examini ſubjectum e frequente Glomere conſtructum, figuram Colei Vitulini, ſeu glandulae conglomeratae, quam Thymum vocant perfectiſſime aemulantem offendimus; prae caeteris vero unum horum glomerum materia Gypſeacea infarctum, reliqua Glandulas carneas, ſed Scirrhoſas referentia, ipſum Carcinoma, jam putredine ſqualens, uſque in membranam Celluloſam penetraſſe, eamque Genu verſum turpiter foedaſſe animadvertimus.

IN

IN SPINAM VENTOSAM ANIMADVERSIONES.

Oſſa totius machinae humanae ſolidiſſima licet organa, ſuos tamen patiuntur abſceſſus, teſte (*a*) Hippocrate (*b*) aliiſque medii aevi ſcriptoribus. *Nec adeo dura adamantinaque oſſa exiſtere ut extendi nequeant.* Quos inter *SPINA VENTOSA*, quibuſdam (*c*) *VENENOSA*, non eſt infimi ſubſellii, quoniam hujus vitio partes os conſtruentes proprie loquendo a ſe invicem abſcedunt, ac in ſe materiem quandam praeternaturalem, ipſius ſubſtantiam intus conterentem, exaſperantem continent; *ex Corruptione* enim (*d*) *oſſis Abſceſſus* oritur, ſecundum Senem.

Trifariam morbus diſtinguitur, atque a Medico Chirurgis, ſi recto vultu eundem animadvertant, obſervatur. *SPINA VENTOSA* nempe, *SPINA VENENOSA* & hiſce duabus *SPINA MITIOR*, licet omnes ſub una eademque nomenclatura Oſſivori, aut oſſis Ventoſitatis jure merito veniant.

SPINA VENTOSA ſeſe in immenſam expandit molem, atque glabram oſſis ſuperficiem ejusque tubulos ſubinde pariter ab ipſo oſſe inflat, unde nomen, tanquam a Vento, mutuatur; dum integumenta corporis communia, non minus, quam muſculos, & eorum tendines, nec non iis intertexta vaſa ſanguifera ad diametrum auget ſolito ma-

(*a*) Popular. Libro II. (*b*) J. Ph. Ingraſſias de Tumorib. (*c*) M. Aur. Severinus de Section. (*d*) Aphor. LXXVII. Sect. VII.

majorem, vitiis *VENENOSAM* urgentibus immunis, ut Ulcere, Ichore, Pure, Foetore, [niſi inconſulto ſcalpello pertuſa,] caeteriſque, dolore excepto, uti recte ſeduliſſimus (*e*) Ruiſchius notavit; qui hujus morbi ſub titulo *Tumoris Spongioſi*, ſeu *Oſſivori*, quoniam oſſis ſubſtantiam *conterit ac comminuit inſtar pultis*, meminit.

Nullis adulta cedit mediis, quam laeſae partis amputationi, minitantem rupturam mors praevenit, auctis enim vaſis ſanguiferis lividiſque, jam impetui imparibus, decumbentem, ſi artus conſpicuos, genu puta, cubitum, aut os humeri vitiaverit, enecat; quemadmodum mihi ab hinc aliquot annos una cum eximio Chirurgo Wilhelmo Ellinkhuizio, in Orphano quodam, obſervare contigit, cui Os Femoris circa proceſſum inferiorem inſtar bullae in orbem erat inflatum, cujus circumferentia adminimum, menſurae noſtratum, ulnae implevit quinque quadrantes, venis admodum expanſis, abſque ullo Jchore, Pure aut Foetore, ruptis vero vaſis ſanguiferis crebra Haemorrhagia brevi fuit miſellus exſtinctus. Reſectum Os Femoris examinandi nobis praebuit facultatem, mihique in *SPINAM VENTOSAM* ſedulo inquirendi addidit ſtimulum.

Integumentis corpori communibus itaque reſectis una cum oſſeo fornice, cui adhaerebant firmiſſime, mox ſanies ſanguine quodammodo mixta, neutiquam foetens, ſubolens tantum, effluxit, quibus remotis ſequentia offendimus, quemadmodum adſtans (*f*) delineatio prae ſe fert, exhibens Os Femoris quaquaverſum eroſum, ſine pondere, ſale, oleo, caeteriſque illud conſtruentibus vinculis orbum, ad medium ſuum fornicationis oſſeae tenens re-

li-

(*e*) Centuriae Obſervatione LXXXI. (*f*) Tab. VI. Fig. 1.

TAB: VII.



J: v: d: Spyk Sculps.

TAB: VI.



F: v. Mieris delin.

J: v.d: Spyk Sculps:

liquias. Eodem vitio ejus Apophyſis inferior urgebatur, ſolito enim poroſior, adeoque ſpongioſa, leviſque, ut aquae ſupernatet.

Tabula Sexta

Figur. I. A. Os Femoris a medio ad ejus extremum eroſum, cinerei coloris demonſtrat.

B. Ejus expanſae ſuperficiei medio adhaerentes exhibet reliquias.

C. Oſſis Tubulos a caeteris adſtantibus pullulaſcentes

Figur. II. D. Apophyſim, uti eandem deſcripſimus, ponit ob oculos.

Quo certius vero hujus morbi, nec non jam jam deſcripti oſſis pateant phaenomena, eaque ſeſe ita habere, ſequente Femore, mihi a Clariſſimo Viro Bernhardo Sigfrido Albino Anatomes Profeſſore Lugduni Batavorum, ac ejusdem civitatis Collegii Chirurgici Praeſide, Adſeſſoribus Archiatris, Decano, caeteriſque ejusdem Societatis Collegis aeri incidendum, quam humaniſſime anno CIƆIƆCCXLI exhibito, adſtruere conabor.

Tabula Septima

A. Os Femoris demonſtrat,

B. Ex ejus ſuperficie, ac filamentis oſſeis orbem inſtar bullae, ſeu vacuae clavae expanſum, frequenti pertuſum Foramine, quorum maximum

C. Stylus permeat, ac oſſei fornicis, nil praeter aërem continentis, notat vacuum.

D. Articulationem cum crure inferiore exhibet.

Hujus phaenomeni rationem, vel ipſius noxiae inexorabili acredini, ejusve longiori morae, ac eroſioni attribuendam autumo, vel morbi fomitem huic oſſi inhaeſiſſe medullitus, profundiusque, quam illi; quo tubuli oſſis magis magisque a ſe invicem fuerint ſejuncti, ac in vacuam clavam una cum ſua ſuperficie expanſi, qua illud, uti ex praecedente archetypo patet, in praeſenti caret; nec mirum! integumenta quippe corporis communia adeo huic fornici adhaerebant, ut illorum ſeparationi, praeter ſarcophagum, ad oſſeam orbitam conſervandam, vel dexterrimus impar, quam, licet grumorum inſtar, in hujus obſervationis, ac veritatis teſſaram, cum ejusdem ſubjecti Patella, ſollicite cuſtodio. Non mirum itaque! hujusmodi oſſa tam raro, niſi forte fortuna e coemeteriis, aut feralibus repoſitoriis eruta in Anatomico Medicorum gazophylaciis offendi; praeter hoc enim, unicum mihi tantum vidiſſe licuit, atque in eo obſervaſſe, lamellam vitream oſſibus communem, inſtar epidermidis, ſolummodo inflatam; quod diſcrimen ab ipſius ſubjecti aetate petendum. Quo quippe corpora adultiora, eo firmiora, quo juniora, eo impetui cedant facilius, quod tamen ſagaciorum Medico Chirurgorum diſcuſſioni relinquo.

Quo modo *HAEC SPINA* differat a *VENENOSA* nec non a *MITIORI*, quantumque diſcrepet a caeteris oſſium adfectibus, ex illorum aequiparatione experiamur.

Primoquidem ab Exoſtoſi, qua modo deſcriptum os non nulli onuſtum, ſed perperam autumaverunt, haec enim firma, ſolida, ponderoſa, ut ipſum os, cui adnaſcitur, absque ullo ſubſtantiae detrimento aut pauperie, quae *SPINA VENTOSA* adfecto inducitur perpetuo. Exoſtoſis inſuper ipſos articulos [Anchyloſim excipias] raro, ſed aliquantulum infra eosdem infeſtat, uti videre eſt apud

Fre-

(g) Fredericum Ruiſchium, ac ſeſe in tumorem duriſſimum, laevigatum, & integerrime oſſeum, lentiſſimo paſſu, ac longa annorum ſerie progrediens, ſine manifeſto dolore extollit, quo ab aliis hujus ſolidiſſimi organi diſtinguitur vitiis, quemadmodum Clariſſimus (h) Godefridus Bidlous, quondam Anatomes Lugduni Batavorum Profeſſor, ſagaxque Chirurgus retulit, diſcrimen expoſuit, ac ipſo ſubjecto adſtruxit.

Quem morbum, ſi cum jam jam deſcripta expanſione comparas, hanc merito bullam vento inflatam dices, illum merum oſſeum ſolidiſſimae ſubſtantiae nodum, totoque a ſe invicem differre coelo, fateberis equidem!

A Tophis Venereis, vulgo Gummatibus Gallicis diſtinguitur, haec quippe oſſa ut plurimum circa eorum medium vexare ſolent, quae, remoto perioſtio, ob oſſis ſejunctos quodammodo tubulos, in ſua ſuperficie ſcatent cuniculis, caeterum neutiquam laevia licet, ut Exoſtoſes, ſatis tamen ponderoſa, ut ipſa cui inhaerent machina.

Quae quum ita ſint, me convincerunt hujusmodi expanſionem nequaquam Exoſtoſin, proprie loquendo, ſed veriſſimam ac genuinam *SPINAM VENTOSAM* jure merito agnoſcere, quo enim, niſi aëre, vel *VENTO*, id eſt vacuo [ſit venia verbis] oſſis vice impletur? Mehercule nullo!

Sed quam promiſcue quaelibet oſſium expanſio, jam pro *SPINA VENTOSA*, iterum pro *Exoſtoſi*, tertium pro *Topho Venereo* a quibusdam habeatur, ex illorum ſcriptis collectu difficile non eſt; non rarum enim Abſceſſum oſſeum pro *Exoſtoſi* ſalutant, quoniam ab oſſe, cui adhaeret,

(g) Theſaur. Anatom. X. Tab. II. Fig. IX. & X. (h) Exercitatio nona Tab. II.

ret, abſcedit; quum e contra, uti Abſceſſus proprie in arte Chirurgica denotet puris collectionem in parte molli, ſic quoque Abſceſſus oſſeus, quia in ſe continet materiam ipſum os comminuentem, conterentem, eandem adquiſivit nomenclaturam; quemadmodum obſervationibus Hippocratis, Marci Aurelii Severini, Johannis Philippi Ingraſſiae, Frederici Ruiſchii, ac harum deſcrimine oſſe femoris veriſſima *Exoſtoſi* onuſto, jam jam probavi, eamque cum Clariſſimo (*i*) Godefrido Bidloo nodum ſolidum plane oſſeum ac neutiquam ſic dicto Abſceſſu ſeparandum, ſed inſtar arboribus adnatorum tuberum ſucci nutritii adfluxu augmentum, abſque manifeſto dolore, capientem demonſtravi.

Hinc Illorum ſententiae, qui contendunt *Exoſtoſin* vitream ſolummodo ſuperficiem, *SPINAM VENTOSAM* vero ipſius oſſis ſubſtantiam perpetim adficere, neutiquam adſentiendum puto; quum ſedulo *SPINAM VENTOSAM* animadvertenti compertum ſit, hanc jam oſſis ſuperficiem, iterum ejus propriam ſubſtantiam adficere atque ſubinde easdem ſimul inflare; *Exoſtoſin* vero, cum ſuperficiem glabram, tum ei ſubjacens os nunquam non pariter expandere, atque conſpicuo onerare pondere, quo *SPINA VENTOSA* adfectum omnino immune, leve quippe, atque aqua, modo ſordibus purgatum, ac aëre exſiccatum, emergens obſervabit.

Signa diagnoſtica, infante morbo, difficillima, nec certo diſtinguenda, progrediente vero, eodemque, quin immo dolore urgente, majori rubedine, comiteque expanſione ubique aequali, tactui reſiſtente, cedente parum, integumentorum tandem aucto venarum diametro, a caeteris

(*i*) Idem ibidem.

teris adfectibus dignoſcitur ; quorſum enim licet ſeſe explicet, neutiquam abit in purulentum abſceſſum, nec rumpitur facile, quemadmodum *VENENOSA*, ac hiſce *MITIOR*, ejus vaſa vero ſanguifera impetu fracta prorſus delinquunt, ac haemorrhagia extinguitur adflictus, uti in definitione notavimus, atque exemplo, ni fallor, adſtruximus.

SPINA VENENOSA.

Altera hujus tituli *SPINA*, cujus ventoſitatis meminit (*k*) Arabum Medicorum princeps Avicenna *Ventoſitatis ſpinae cauſa ſunt humores acuti, penetrantes in os, & corrodentes ipſum, & inceſſus ventoſitatis ſpinae, eſt inceſſus doloris juncturarum, &c.* (*l*) a Marco Aurelio Severino *VENENOSA* habita adficit quoque oſſium Apophyſes, ut plurimum vero Carpum, Metacarpum, Tarſum, Metatarſum, ut & Spongioſa oſſa Calcanea, intumeſcentia praeternaturali, Carie, Foetore pertinaci, Ulcuſculis minutis, lividis, profundis, ſpecillis patentibus, Ichorem, Saniem, jam Pus unctuoſum, iterum acre, una ſubinde cum (*m*) fragmentis oſſeis peſſime foetentibus, ac fuſcis aqua emergentibus evomens, partes laeſas turpiter mutilans, cauſaque ineluctabilium erumnarum cum dolore, vix athletis, quid dicam pueris? quibus familiaris, (*n*) hinc merito Paedarthrocace, quaſi puerorum membrorum malum vocata, ferendo.

E qua definitione unius & alterius *SPINAE* diſcrimen inter has & oſſis caetera adparet vitia.

Quan-

(*k*) Tom. II. Lib. IV. Fen 5. Tract. 1. (*l*) Medic. efficax de ſection. (*m*) Tab. VII. Figur. I. a. b. c. d. e. (*n*) Cunrad. Ludew. Waltheri ſpecimen Chirurg. Hoogd.

Quantum ab ulceribus a Carie ſeu Teredine contaminatis [omnes licet malum corporis, ut plurimum, agnoſcant habitum] differant, properabo fateri.

Primoquidem *SPINA VENTOSA* nullis urgetur ulceribus externis, niſi Epidermidis tantum, vel ab excoriatione oriundis, ſed adflicti oſſis ſubſtantia inſtar farinae, ſive pultis, praeeunte conſpicuo abſceſſu intus comminuitur. Ulcera vero a Teredine pertuſa oſſium fragmenta aſpera ac fulvi, docente (*o*) Hippocrate ſeparant, *SPINAE VENTOSAE* e contra ſunt cinerei coloris. Oſſis Caries requiſitis ſubinde domatur auxiliis, *SPINA VENTOSA* nullis, niſi extirpationi cedit mediis.

SPINA VENENOSA, licet Cariem habeat comitem, ac ipſius fragmenta ſint aſpera, in eo a Carie differt, quod hujus ulcera ſint auguſtiora, *quod enim vitiatum eſt, vel carioſum, quae ſupernatis gravibus ulceribus aut fiſtulis hiſque vel longa vetuſtate, vel Cancro occupatis, eveniunt.* (*p*) Aurelio Cornelio Celſo monente, illius minutiſſima, ſtylos exploratorios tantum admittentia, & propterea Spongia cera cocta, Medulla Sambuci, vel Radice Gentiana, ſi ferrum aut ignem recuſent, in anteceſſum dilatanda, oſſis adfecti fragmenta omnimodo fuſca, putida, quovis vinculo orba, atque aqua emergentia, quum a Carie vero pertuſa ac exploſa ut plurimum ſubmergant.

A *SPINA MITIORI* toto Coelo differt, haec enim cum Carie ſeu corruptione, tum foetore, Teredini adfatim familiari integerrime vacat, ac aculeos oſſeos ſeparat Eburneos, ponderoſos, neutiquam foedatos quemadmodum ſequentibus obſervationibus demonſtrare enitar.

SA-

(*o*) Lib. II. de Morbis. (*p*) De Re Medic. Lib. VIII. Cap. II.

SANATAE SPINAE VENENOSAE OBSERVATIO.

Hujus morbi ferocitatem domavimus quondam in uxore Theodori Pret Cauponis ad primum circiter Lapidem Lugdunum Batavorum inter & Dominium Oegſtgeeſtanum, cujusque, adſtruxioni definitionis mox deſcriptae, inſervientem, hiſce inſerere placuit, memoriam.

Mulier haec, poſtquam cum inflammatione circiter inferiorem Oſſis Tibiae terminum Talumque, praeprimis internum, fuit luctata, nec non laeſae partis expanſione praeternaturali, & exquiſitiſſimo dolore adfecta, donec in abſceſſum abierit noxia, quae rupta puris foetentis, denuo Ichoris, ſubinde una cum fragmentis oſſeis putidis eructavit copiam, inceſſu privata, rerumque domeſticarum peragendarum impos nonnullorum petiit auxilium, poſtremo quoque meum.

Tibiam uno alteroque ulcere anguſto cavernoſam examino, eique ſtylum impingo exploratorium, eamque Oſſivoro laborare renuntio. Poſtridie alterutri plagae ſpongiae cum cera flava coctae immiſi ſegmentum, ac faſciis & ligatura in alteram diem loco retinui, quo tum extracto mihi patuit in ipſam cariem aditus, quem linteo raſili ſequenti mixtura ſaturo opplevi. Receperam Spiritus vini uncias ſex, Tincturae Myrrhynae, Euphorbii ſingularum dimidiam Melliſque Roſarum unicam, additis olei Chariophillorum guttulis viginti. Quorum efficacia, nec non largo hauſtu decocti e Radicibus, Corticibus, Herbis, Foliiſque Antiſcorbuticis parati, ac corpore per vices Extracto Catholico & Mercurio dulci purgato, victuſque regimine

conveniente, brevi quinque (*q*) fragmenta fuſca, foetentia ab oſſis tibiae proceſſu fuerunt ſeparata, mulierque circa ejuſdem Anni CIↃIↃCCXI exitum priſtinam recuperavit valetudinem.

Hac methodo plus ſemel *SPINAM VENENOSAM*, praecipue vero pubertatis favente epocha, quae non raro Chronicos judicare ſolet, curare mihi licuit.

SPINAE VENENOSAE SANATAE ALTERA OBSERVATIO.

Petrus Michaëlis Filius ſedecim circiter annos natus prope Lugdunum Batavorum ab hinc aliquot annos Hac *SPINA* ad pedem urgebatur, quae ipſi inceſſum omnimodo negaverat, atque Os Calcaneum ſuo veneno integerrime adeo contaminaverat, ut Digitum auricularem ab utroque latere ad ſuum medium admiſerit, juraſſeſque hanc oſſis foveam potius a glande plumbea e fiſtula ignivoma miſſa, quam corporis malo habitu productam.

Quaelibet in auxilium, incaſſum vero! vocavit nihil enim, praeter Mercurium dulcem, ipſi attulit ſuppetias, eumque a morbo vindicavit.

SPINAE VENENOSAE CURATAE OBSERVATIO TERTIA.

Juvenem annorum triginta ſex eodem aegrum vitio, Os Calcaneum foedante, ſalivatione, abſque ulla oſſium fragmentorum ſeparatione, brevi ab ancipiti alea redemi.

SPI-

(*q*) Vid. Tab. VIII. Fig. 1.

SPINA PRAECEDENTIBUS MITIOR.

Tertia, quam ad exemplum (*r*) Fabritii Hildani utramque Celſi Meliceriam deſcribentis, pace tua, Benevole Lector, liceat dixiſſe *MITIOREM!* Oſſis medium, ſive duriorem ſubſtantiam adficit, eamque nunc inſtar laminarum, iterum tubulos & filamenta oſſea Eburnei candoris ponderoſa aqua ſubmergentia, ſeparat, praevia intumeſcentia, cum puris concocti ſeparatione, ſine foetore tamen; ſtipantibus nihilominus minutis ulcuſculis, ſi unicam tantum oſſis regionem infeſtaverit morbus, ſi vero plures urgeat, ulcera plana profundas eſcharas nonnunquam inducentia, ſeſe ſiſtunt, vel utrumque proceſſum ſuperiorem, ac inferiorem in conſenſum trahit; quemadmodum Chirurgo Ellinkhuizio videre contigit in puero, novem circiter annos nato, hac noxia adflicto, oriente a genu, occidente ad talum internum, cui poſtquam cum Eryſipelate, Oedemate, Inflammatione, tandem Ulceribus integumenta corporis communia erodentibus luctatus fuerat, Tibia primo denudata, poſtremo integerrime ſeparata, ſuccedente ferrumine oſſis vicem gerente, inceſſum felicem, ac praeter expectationem conciliante. Nae de raro contingente phaenomenon! Natura monſtrante viam, eam quo vergat ducente Chirurgo, qui hunc caſum mihi communicavit (*s*) oſſiſque fragmentum delineandi aerique incidendi copiam fecit.

SPINAE MITIORIS SANATAE MEMORIA.

Ipſis Nonis Februarii Anni CIƆIƆCCXIII recreandi animi cauſa praemonitus Puer ſuper glaciem ambulans, hujus lubri-

(*r*) Tractatus de Ichore & Meliceria Celſi.

(*s*) Tab. VIII. Fig. II. & III.

bricitate prolabitur, qua tacta reſurgit, ac per aliquot dies abſque ulla noxa, vel negato inceſſu hilariter degit: poſtea vero Eryſipelate, prima morbi labe, adficitur, cui ſiccis pulveribus proſpectum, ac inflammationi reſiſtens pharmacum interne aſſumendum puerulo fuit propinatum, nihiloſecius ſeſe pejus habuit; qua de re Medici opem imploraverunt, qui pedem ac tibiam inferiorem obſeſſam Oedemate, immo inflammationem in genu excurrentem vergere in ſuppurationem detexit.

Chirurgus Ellinkhuizius hoc tempore arceſſitus partes laeſas examinat easque fotu reſolvente munit, quo poſtera luce evanuiſſe Oedema, ſed ſeſe ad mediam tibiam collectionem locaſſe animadvertit, cui impoſuit cataplaſma, quo tandem ruptus abſceſſus puris copiam evomuit. Tribus aut pluribus diebus elapſis focile majus fractum experiebatur innatans materiei, cujus rei novitatem pueruli matri innuit, quae attonita, hoc impoſſibile fore regerit, contendit tamen contrarium Chirurgus, qua renunciatione ſubleſta mater alterius Chirurgi ſententiam colligere decrevit, qui parte adfecta rite examinata ſuum prioris calculo addidit, hinc tibiae tanquam fractae conſulere faſciis, ligaturis, caeteroque adparatu ratum duxerunt ambo; puris vero fertilitate mox ſplenia undique maduere, ſuperveniente non rara collectione, neque genu Empyemate reſtitit immune, quibus Os Tibiae tandem in lucem prodierit, cujus ſeparationem tinctura de Myrrha promoverunt quantocius, ac fragmentum jam magis magisque vacillans poſtremo vulneri exemptum examinaverunt, illudque nullomodo fracturae, ſed morbo oſſeo ortum, cauſamque debuiſſe opinati ſunt. (*t*) Hoc exploſo ulcera carne implebantur, (*u*) cava & profunda

(*t*) Vide Tabulae VIII. Fig. II. & III. (*u*) Aphoriſ. XLV. Sect. VI.

ſunda cicarrice, ut docet medicorum princeps Hippocrates, operta ſunt, ac puer duodecimo calendarum Maji Anni ſubſequentis cIↃIↃCCXIV integerrime a vitiis vindicatus, cui in poſterum eodem morbo adflicto, una alteraque (*v*) feſtuca, haec ab Oſſe Claviculari, illa a Scapula ulcere praevio, poſtea ſanato, fuit ſejuncta, teſtis veriſſima puerum non Tibiae Fracturam, ſed Oſſivorum fuiſſe perpeſſum; quemadmodum ex ipſa oſſis ſeparatione & experientia a poſteriori adparet.

(*w*) *Fractura* enim *continui eſt Solutio in oſſibus ab inſtrumento duro vi in ipſum adacto*, caſu, lapſu, ictuve, queis munere fungi nequeunt, atque a figura varias mutuatur nomenclaturas. *Rhaphanedum* quippe Rhaphani modo, ſeu transverſam, *Apocopen* ſive abſciſſionem, *Unguiformem*, *Aſſeralem*, *Caryedum* aut nucatim, & *Alphitidum* inſtar farinae comminutam Fracturam (*x*) appellant. Quarum omnium in hoc oſſis fragmento nullum reperitur veſtigium, illud vero, puris adfluxu, a ſuo continuo ſejunctum, ipſius ſeparationis teſtantur ſtigmata, tanquam tot indices, hoc vitium nullo modo a Fractura, ſed morbo, & nimia humorum copia, critice circa tibiam evacuata, ortum duxiſſe, uti e morbi recidiva, cum ad Scapulam, tum ad os Claviculare cum (*y*) ſeparatione ejusdem indolis ac tibiae, collectu non eſt difficile.

ALTERUM SPINAE MITIORIS SANATAE EXEMPLUM.

Septennis Puer paganus non Procul Lugduno Batavorum, poſt-

(*v*) Fig. IV. A. B. C. (*w*) Pauli Barbette Chirurg. (*x*) C. Van De Voorde Nieuw ligt. Fakkel. enz. Laurens Heiſter II. Boek I. Deel. (*y*) Tab. VIII. Fig. IV.

poſtquam variis ulceribus tibiam undique obſidentibus, eſcharis profundis ac ſordidis, non rara minutiſſima oſſis fragmenta candida ac Eburnei coloris abſque ullo foetore evomentibus uſque in undecimum aetatis ſuae, labentis vero ſeculi annum decimum tertium fuerat adflictus, me una cum iſtius ſtationis Chirurgo convenit, opemque imploravit.

Plagis ſub patella in Talum per Tibiam excurrentibus ſtylo exploratorio examinatis, hinc illincque perioſtio eandem offendimus orbam. Parti laeſae proſpeximus cataplaſmate e ſequentibus parato; Herbis & Foliis ſcilicet Abrotani, Marrubii, Abſynthii, Scordii, Rutae, Malvae, Althaeae, quarum ſingularum cepimus manipulum, Florum Roſarum rubrarum tres, ſambuci duos, Meliloti ac Chamaemillae vulgaris unicum, quibus inciſis, contuſis, ac vaſis rite clauſis in lora Gallica cum ſufficiente quantitate farinae Lini & Fabarum ad conſiſtentiam Cataplasmatis coctis, igneque remotis Theriacae Venetae unciola, mellis communis duae immixtae fuerunt.

Hujus fomento ac facultate actutum ulcerum ſordibus ſeparatis auguſta ſemita penitus inquirendi nobis copiam fecit. Hinc e re judicavimus horum quaedam in longum per Tibiam ſcalpello pertundere; oſſi ſeparando exitum praebere; quo citius mediante (z) Mixtura in obſervatione Spinae Venenoſae praeſcripta eructaretur. Hoc medicaminis genere linteum raſile imbutum ulceribus adhibuimus, deinde faſciis fomentatione e Roſis ſiccis, Vini rubelli faecibus, aqua communi Vinoque Gallico ſaturis partes adfectas obligavimus, brevique varia tibiae candidiſſima fragmenta, prae caeteris vero unum conſpicuae magnitudinis medium digitum longum, ſejuncta, ulcera ſanata, puerque adſertus.

SPI-

(z) Pagin. 113.

SPINAE MITIORIS SANATAE EXEMPLUM TERTIUM.

Neutiquam ita, ac jam jam recitata ejusdem indolis *SPINA*, fuit morigera, quam tamen una cum Chirurgo Petro Toutſaint quondam Mercurio domavimus in adoleſcente duodecim circiter annos nato, cui a Trochantere Femoris majore uſque in Genu adminimum decem, minoribus exceptis, ſeſe frequente loco ſiſtentibus, inhaerebant ulcera ſordida, lardum referentia, quorum nonnulla ſpecillum perioſtiotenus lubenter recipiebant, variaſque particulas oſſeas aqua ſubmergentes eructaverat, abſque ullo foetore.

Quaelibet in antecedente obſervatione in uſum vocata adhibuimus, iiſque ut laeſas ut ſinceras minivimus, voto vero noſtro minime reſponderunt, quapropter adflicto, corpore in anteceſſum largo hauſtu praeparato, Mercurium dulcem ad juſtam doſin propinavimus per aliquot dies & licet ad drachmas ſex, interpolatis vicibus adſumpſerat, nihilominus ſalivationem haud eodem promovimus, curationem vero, tandem e voto adſecuti ſumus. Quam medelam ſaepius, raro ſine fruge, in poſterum adhortatus ſum,

MITIOR haec eſt caeteris, quia in partes carneas minorem tyrannidem, quam ſi in tendineas circa articulos, quemadmodum *VENENOSA* inciderit, exerceat, nec eas ullo viru contaminet, ſimulac rupta aditum medicamentis, ipſi ſcalpello, & ferro candenti ſaepius, ob partes ſubjacentes ab aliis vetito, praebeat faciliorem.

Harum omnium ſigna diagnoſtica e definitione, ni fallor, adparent abunde.

Non ita Cauſae antecedentes, quae vel internae, vel externae

ternae habendae, praecipue corporis nutritio mala, crudorum ingluvies, humorum depravatorum copia, oſſis medullae corruptio, quamobrem egenorum pueris praecipue *VENENOSA* familiaris, Catharrus circa articulos, eorum Contuſio vehemens, Caſus, Ictus, Contorſio, quin immo antecedentis morbi imperfectum judicium.

Proxima animadvertitur ex ipſa laeſa parte, *VENTOSAE* quippe os in inmenſum expanditur, *VENENOSAM* comitatur Caries, *MITIOR* morbum, Catharrumve agnoſcit cauſam.

Quod harum prognoſin, curamque ſpectat, difficilis quocunque veniat de gramine, quocunque ſe ſiſtat loco, curatu: *VENTOSAE* jam Conformatae nulla, amputatione excepta, medela.

Hinc *VENTOSAM* quolibet medicamine eſcartico tentare eſſet in conſultum! ſcalpello pertundere piaculum! quid dicam hominem necare! adſerente (*z*) Frederico Ruiſchio. Quamobrem, antequam vaſa rupturam minantur, quo citius, eo tutius, in adflicti commodum, enſe recidenda, ne pats ſyncera trahatur.

VENENOSA, ſi in Oſſe Calcaneo inciderit, illudque ſuo contaminet veneno moroſiſſima, ſua mollitie ſpongioſa quaevis medicamina reſpuit, cauterii ſtigmata humorum copia negligit, ut irriti laboris conamina, nullomodo, ut ſolidum os caſtiganti ferro auſcultans, profluvio enim ſaniei de malo in pejus, de vitio in vitium cedens indies (*a*) raro excepto; hinc ultimum tanquam ad ſacram anchoram junioribus pubertatem, juvenibus aut vegetis ſalivationem, refugium, queis ſaepius, non adfatim *SPINA MITIOR* quoque morem gerit.

Quo-

(*a*) Obſervat. LXXXI.. (*b*) Job. a Meekren Cap. LXX.

Quoniam Hic *VENENOSUS* morbus noſtratibus adeo familiaris, aeque ac ſubinde perperam a Barbitonſoribus ſecus, ac Agyrtis curatum ſuſcipitur, lubet in medium variae ſpeciei varias proferre medelas.

Hi Oſſis ſeparationem emollientibus, maturantibus pinguedinoſis, unctuoſis promovere ſatagunt, illi Balſamum Leucatelli, tam interne aſſumendum, quam externe adhibendum, commendant; ſagaciores, niſi eundem concomitentur infanda ſymptomata, nil praeter purum & merum linteum indies renovandum, eoque huic malo mederi contendunt. Sunt qui unguenta defenſiva partibus adfectis imponunt, iiſque faſciis & ligaturis proſpiciunt, alii nocens membrum extirpandum adſerunt, quam operationem in Spina Ventoſa ſupra memorata nullus Medico Chirurgorum non laudabit, in Venenoſa vero eam procraſtinandam recte monebit, nec deſunt, quos olim meminiſſe juvaverit adoleſcentis hoc vitio laborantis, cui, teſte Clariſſimo inclytae Academiae Lugdunenſis Profeſſore Medico Hermanno Ooſterdyk Schacht tum temporis urbis Lugduni Batavorum Archiatro, utrumque brachium ferro fuiſſet abruptum, niſi prohibuiſſet, & martyrem cum ab hac laniena tum a morbo vindicaſſet.

Pinguedinoſa, quantum ipſe notavi, morbum augent; oſſa quippe, tendines, membranae ſicca exigunt medicamenta, putredini reſiſtentia, confortantia ſimul ſeparationem promoventia, quae e vino, Spirituoſis petenda; Spiritus matricalis, Tinctura de Myrrha, Euphorbii, Mel Roſarum rubrarum, oleum Chariophillorum indicationibus curativis ſatisfaciunt, ſi vires ferant & pateat aditus ferrum candens primas tenet. Victus ratio e re adflictorum habenda eſt parca ciborum eupeptorum & facilioris digeſtionis, interne Decocta e lignis, corticibus, radicibus, herbis, fo-

liis antiſcorbuticis cum exoticis, tum noſtratibus propinanda, ſubinde purgantia e mercurialibus, extractis caeterisque, exhibenda; porro pubertas, quae huic morbo non ſecus ac aliis criſin adferre ſolet, exſpectanda; quibus ſi pertinax cedere neſcius, curam abſolvit ſalivatio ut plurimum, hac Spinam Venenoſam ſaepius, Os Calcaneum defoedantem bis obſervavi funditus ſublatam. Dignum notatu Mercurium Dulcem vicibus interpolatis ad dragmas ſex, vel integram unciam pueris hoc morbo laborantibus exhibitum, ignavum ac inertem, caeteroquin efficacem velocem, egiſſe; nihilominus omnibus numeris, ſcopo medico, mederi ſcilicet, ſatisfeciſſe, quemadmodum mecum experti ſunt Chirurgi. Quibus rite perpenſis, quanti momenti Mercurius, quantumque *SPINA* adflictis *VENENOSA* contulerit commodi, liceat mihi corollarii loco hoc proferre in medium problema!

Num eadem methodo Spinae Ventoſae incipientis curam auſpicari conveniat, *num Mercurius paulo poſt membri nocentis amputationem, ad Synceras partes a morbi recidiva redimendas proficeret, nec ne?* quatenus mihi videtur, quadraret ad morbum, nulli dubitanti, quin Mercurius hunc in ipſis faſciis, latice corrigendo, ejusque adfluxu exſiccando, impetum ac progreſſum compeſcendo, penitus extingueret: nam ſimulac eundem *MITIORI* & *VENENOSA* oſſa calcanea perforante laborantibus noxa propinaverim, vel mox in nonnullis ſymptomata mitigaverim, ulcera abſterſerim, eorum pus emendaverim, ſqualorem abſtulerim, partis inflationem ſubpreſſerim, tandemque ulcera cicatrice obduxerim. Quid ni materies *VENTOSAM* patrans coërceretur eodem? contra naturam jam vero oſſi inflato Mercurium omnibus numeris priſcam venuſtatem redintegrando imparem fateor equidem, eundem

TAB: VIII.



F. v: Mieris delin.

J: v: d: Spyk Sculp.

dem tamen cauſae efficienti fixum fore terminum, etiam atque etiam confido: hunc enim gummata Venerea componere, eorum excurſum & moroſitatem duntaxat fraenare, nemini non notum; quid ni acredinem, Catharrum, vel cauſam qualemcunque oſſium ſuperficiem glabram ejusque tubulos expandentem fomitemque ſuffocaret? cujus efficaciam, fidemque ſuſceptam, prima data occaſione, ſi meae, quod torqueat Lacheſi ſuperſit, per hunc Oceanum rupibus horridum *SPINOSIS*, *VENTOQUE* turbidum, hac viam monſtrante Cynoſura Pharoque experiar, quo propriis, licet utcunque deformibus potius, quam Anapleroſi ſubſtitutis ſe portent pedibus, nec opus ſit cultris, queis mutilentur adflicti.

Tabulae Octavae Explicatio.

Figura prima quinque oſſium fragmenta Spina Venenoſa corrupta, nigra adeoque levia, ut aquae innatent, A. B. C. D. E.

Altera maximam tibiae partem Spina Mitiori ab Oſſe hujus tituli ſeparatam,

Tertia eandem a parte poſtica, ejusque ſtigmata ſeparationis,

Quarta tria fragmenta, ut a Scapula, ut ab Oſſe Claviculari eodem morbo in eodem adflicto exploſa demonſtrant. A. B. C.

MELICERIA CELSI.

I*CHOR*, *MELICERIA*; *HYDRARTHROS*, *HYDROPS ARTICULORUM* a (*a*) Fabricio Hildano habentur Synonyma: reſpicit morbus Nervos, Tendines, Membranas Articulos ambientes laeſos, nec non *Glandulas Interarticulares Mucilaginoſas*, quarum inventum ac deſcriptionem debemus induſtriae (*b*) Cloptonis Havers de Republica Medica meritiſſimi. Mutuatur nomen a materia e praedictis organis effluente, quae, Protei inſtar, jam limpida, mox flaveſcens, iterum tenuis, acris, erodens pro atrocitate & contumacia morbi, vel poſtremo ejus progreſſu concocta in pus album, laeve & aequale, nunc ſine, rurſus cum foetore, ſtylos exploratorios nigredine contaminante ſeparatur: quod phaenomenon, in Nervis, Tendinibus, Membranis, Cartilagine appendices oſſium veſtiente, eorumque ipſis apophyſibus inquinatis equidem apparet, nae tum teſte Fabricio Hildano merito Ichor acer, ut plurimum artus mutilans, eosque inflexibili rigiditate, Anchyloſi, Gummatibus aut papulis oſſeis, caeteriſque ineluctabilibus urgens vitiis, renunciandus. In omni Ichore & Meliceria haec non obſervantur, in punctura Tendinis etenim animadvertitur Ichor cum tardae tum ſine mutilando adfectam partem rarae curationis, Oſſibus vero orbis Cartilagine ſua, horumque appendicibus acredine eroſis, ſeparatis atque curtis, rigiditas illorum eſt comes perpetua.

Eſt

(*a*) Tractat. de Ichore & meliceria Celſi. (*b*) Nov. quaed. Obſervat. de Oſſib. Sermo. quartus. Cap. I.

Eſt autem Ichor & Meliceria Celſi, ſeri acris ad laeſos, & dolore magno, & inflammatione tentatos Articulos, & cum ingentibus doloribus, inquietudine, febre, viriumque proſtratione effluxio, aliorumque Symptomatum ſcaturigo definiente (*c*) Fabricio Hildano.

Eſt enim, inquit (*d*) Celſus, *quaedam Sanies: quae vel Hydrops vel Meliceria nominatur, eſt pus quod Elaeodes appellatnr. Hydrops tenuis, ſubalbidus ex malo ulcere exit: maxime ubi nervo laeſo inflammatio ſecuta eſt. Meliceria craſſior & glutinoſior ſubalbida mellique albo ſubſimilis fertur. Haec quoque ex malis ulceribus: ubi nervi circa articulos laeſi ſunt, & inter haec loca maxime ex genibus Elaeodes tenue ſubalbidum quaſi unctum colore atque pinguitudine: oleo albo non diſſimile apparet in magnis ulceribus ſaneſcentibus.*

Hujus crudelitatem una cum Bernhardo Schepers honorati nominis Chirurgo apud Lugduno Batavos videre contigit in juvene, cujus nomini parcam. Huic *Ichoris Meliceriaeve* effluxu unius pedis tota digitorum Phalanx, unico excepto, inſtar liquaminis deciderat. Alterius hac adfecta oſſa digitorum, cum ſeparata cartilagine iis alias munimento, deliquerunt, potius limbum Metatarſo adnatum, quam digitos prae ſe tulerunt, ut, inceſſu omnimodo negato, corpus ignavum ſedili impoſitum manibus quaquaverſum movere fuerit coactus. Quamnam cauſam hic morbus agnoverit internam, nullatenus enim ab externa productus, acrem materiam, rodentem *interarticulares mucilaginoſas glandulas*, & quidem criticam, ſi quis renunciet, nullus inficior, hoc enim vitio dum urgeretur, Mania immunis, Ichoris vero effluxu compoſito, primo veſanus, mox furibundus evaſit.

Ejus-

(*c*) Tract. de Ichore & Melicer: Celſi. (*d*) Lib. V. Cap. XXVI.

Ejuſdem genii morbo Anno CIƆIƆCCXXXV laboravit opeſex Janus Zantvoort ſexagenarius, qui hunc adquiſivit contorſione, Carpus illi variis ulcuſculis lividis minutiſſimis erat perforatus, ſpecillum lubenter recipiens, evomens pus nunc concoctum iterum ſaniem, denuo (*e*) ſuccum gelatinoſum, mucagini, in abſciſſis ruminantium jumentorum articulis obſervandae, ſimillimum, ſubinde cartilaginem oſſa carpi ambientem, hoc tantum cum diſcrimine, quod peſſimus foetor priori frequens, huic rarus aderat.

Miſerrime adflicto proſpeximus, ac varia in medium duximus, compeſcendo fluxui par nihil melius ſequente experti. Accipe ligni Guaiaci Corticum Querci ſingulorum quadrantem, ſtent in infuſione aquae communis per viginti quatuor horas poſtea coque per duas, ſub finem adde Herbae Marrubii, Abrotani, Abſynthii vulgaris, Ruthae, Scordii ſingularum manipulum, Florum Roſarum Rubrarum manipulos duos; Faecum Vini Rubelli libram, poſtquam leniter ebulliverint Colatura librarum duarum addita Vini Rubri ſelibra, uſui ſervetur.

Ad faetorem coërcendum uſi ſumus Spiritus matricalis, Tincturae de Myrrha; Mellis roſarum, Spiritus Vini ſingulorum unciola, olei Chariophillorum aliquot guttulis, pro exigente malo, ultimo inſtillato, vel filamentis adhibito, priori liciniis madidis fervide impoſitis religabatur Carpus, ac melius inde ſeſe habuit. Non licuit tamen devincere hoſtem, qui, vel homine ſuperſtite, dubio procul degeneraſſet in Anchylen, ſive Anchyloſin, hujus conſummati adfectus, monente (*f*) Fabricio Hildano, comitem perpetuam, quam paucis explicare conabor.

ANCHYLE aliis *ANCHYLOSIS* articulorum contractionem, artuum motum difficilem, ligationem, & quod ety-

(*e*) Synovia. (*f*) De Ichore & Meliceria Celſi.

etymon ſpectat Cubiti Incuvationem denotat, cui Orthocolon, ſive articulum rectum, quando muſculi partem flectentes non ſequuntur, ſed articulus perpetuo tenditur, nec flecti poteſt, opponunt, uterque tamen morbus rigidas reddit articulorum juncturas.

In duas, ut plurimum ſpecies hunc adfectum diſtinguunt, in *Veram* ſcilicet & *Spuriam Anchyloſin*, quarum differentiae conſiſtunt in motu omni modo negato, aut valde moleſto.

Prioris ſigna diagnoſtica ſunt ipſius articuli, ſive recti, ſive inflexi motus abolitus & penitus amiſſus, contractio, ligatio, perpetua tenſio, quae ſimul ſumpta Veriſſimae *Anchyloſis* ſymbola.

Alterius vero indicia, cum motus licet difficilis, attamen utcunque ſuperſtes, tumque ſtridor, fragor, & ſtrepitus comes.

Cauſae hujus vitii antecedentes ſunt variae, Ichor, Meliceria, Hydarthros, Fractura, Diſlocatio, Contorſio, vulnera articulorum profundiora, liquidi *Glandularum Interarticularium Mucilaginoſarum* penuria, obſtructio, depravatio, inflammatio, quibus (g) *Princeps hujus mucilaginis uſus lubricare* nempe *Juncturas, extremitates oſſium, per articulos ſibi commiſſorum*, atque *ita laeves retinere, ut animal illas partes cum ſumma facilitate movere & dirigere poſſit, prout occaſio voluerit*, omnimodo turbatur. Adde quod *praeter humorem a mucilaginoſis glandulis ſuppeditatum, adſit quoque oleoſa ſubſtantia ex oſſium cavitatibus in eadem receptacula, vel interſtitia per meatus eum in finem paratos, transmiſſa, quae cavet ne mucilago inſpiſſetur gelatinaeque conſiſtentiam ſibi contrahat.* Exoſtoſes articulorum per-

(g) Clopton. Havers de Natur. & uſu Mucilag. Cap. II.

perpetua quies, ipſa Senectus, (g) morbus non recte judicatus, prae caeteris a variolis, ac denique medentium ſubinde incuria; quae tanquam tot hoſtes impaciferi hunc adfectum patrare valent. Ichore enim, Hydrarthro, aut Meliceria maceratis & eroſis apophyſibus, earumque cartilagine, Os cum oſſe conjungens ſuccedit ferrumen callum mentiens, hac differentia, quod hic e filamentis os conſtruentibus diffractis ſeparetur, illud vero iisdem Meliceria ſuppuratis inſtar liquaminis primo tanquam ſolutum, deinde ulceribus ſaneſcentibus induretur. Huic adſtruendo inſerviat Iconiſmus Oſſium Carpi & Metacarpi cum Radio coalitorum, quae non ab infarcta materia [uti quibusdam placuit] ſed ejus penuria potius naturalem dimenſionem, ut pote qua minora, amiſerunt, morbo ejusque ſtigmate conſpicua, comeſa, curta, in unicum Os coacta videntur

Tabulae Nonae

Figura Prima

A. Radium.
B. Ejus conjunctionem cum
C. Oſſiculis Carpi &
D. Metacarpi exhibent.
E. Stylus eſt permeans foramen ab ulcere quondam relictum.


Figura Secunda.

Exhibet ſimplici linea hujus manus faciem internam.

A Fractura vero *Anchyloſis* generatur a praecedentibus toto coelo differens, callo enim nimium excurrente, os cum

(g) Job. a Meekeren Obſerv. Poſthum. Cap. XI.

TAB: IX.



J: v: d: Spyk Sculp.


Fig: 11.
Fig. 1.
A
B
C
D
E
E
E
A
B
C
D
F. v. Mieris delin.
J. v. d. Spyk Sculps.

cum oſſe vicino jungente, morboſus articulus evadit ſolito major, tanquam in calloſa & aſpera theca conditus, quemadmodum videre eſt apud (*h*) Fabricium Hildanum in confracto & plumbea glande trajecto femoris oſſe Anchyloſi vitiato, quod Phoenomenum a ſe primo ſua memoria prae caeteris obſervatum refert.

Quo conſtat oſſa a fractura ſibi invicem praeter naturam juncta augeri, ac faſce calloſo onerari, quemadmodum e ſequente ſchemate probatur.

Tabulae Decimae

Figura Prima.

A. Os coadjutorium,
B. Ulnam,
C. Fracturam inter hanc & ejus
D. Olecranum,
E. Aſperitates & excreſcentias oſſeas ad Cubitum monſtrant.

Haud raro longa ferruminantur oſſa quiete, praecipue in iis, qui vel ab ineunti aetate, propter *Spinam Venenoſam*, vel aliquod chronicum pedis incommodum, grallis innixi incedere coguntur, quo circulatio liquidi *Glandularum Interarticularium Mucilaginoſarum* impediatur, tandemve omnino ſufflaminetur, oſſaque ſibi invicem jungantur; quemadmodum ſequens Oſſis Femoris, Tibiae atque Patellae exprimit archetypum, demonſtrans diſcrimen inter jam jam recitatam, & hanc Anchyloſin, quae propriam Oſſium ſervavit dimenſionem.

Tabu-

(*h*) Cap. XXV. de Ichore & meliceria Celſi.

Tabulae Decimae

Figura Secunda.

A. Os Femoris,
B. Tibiam,
C. Patellam,
D. Horum omnium coalitum prae ſe ferunt.

Quo modo oſſeo adparatu valde moleſto, ſive ab ictu, vel alia qualibet externa vi illata, onerentur, adſtans Os Femoris ponit ob oculos, quaquaverſum non raris exuviis, vel ipſum Trochanterem majorem occultantibus onuſtum, nequaquam a Fractura, nec Hydrarthro nec Meliceria, ſed dubio procul laeſa ſuperficie oſſea; ejus caput enim, ſi recto vultu examines, glabrum animadvertes, unicam excipias regionem, qua labes harum excreſcentiarum orbem Iſchii Oſſis adfecerit, quae tractu temporis eundo caput Femoris illius cavitati inhaerens ulterius abdidiſſet immobile. Evidens argumentum, *Anchyloſes* jam ab infarcta materie, iterum a Callo, denuo a penuria ipſius oſſis ſubſtantiae Meliceria eliquatae nanciſci geneſin.

Tabula Undecima.

A. Os Femoris,
B. Ejus Caput,
C. Hujus glabram ſuperficiem,
D. excreſcentias referunt.

Tabula Duodecima

Idem Os Femoris a parte poſtica demonſtrat.

Nec

TAB. XI.



J: v: d : Spyk Sculpſ.

TAB: XII.



J: v: d: Spyk Sculp.

Nec minus hoc fatum ipſos manet decrepitos, quorum, prae reliquis, Oſſa Innominata, Sacrum, Coxae, Iſchia, Pubis, & Ilia, Pelvim conſtruentia, nec non tractus vertebrarum lumbarium, ſolo liquidorum defectu, motu negato, ac Cartilaginis interoſſeae ariditate, rigeſcunt, quae examini ſubjecta, unione excepta, nihil heterogenei portendunt.

Qua cauſa totus *humanus truncus e vertebris dorſi & lumborum, e coſtis, ex oſſibus Sacro & Innominatis in unicum inſeparabile corpus oſſeum evaſerit?* explicet (*i*) Bernardus Connor; eundem a ſenio confectum, & productum credere ſubit.

Incuria medentium huic vitio anſam praeberi, teſtentur tot ambulantia & ſaepius nobis obviam euntia artis male adminiſtratae opprobria.

Hujus Morbi cauſae, licet variae, nullam praeter rigorem articuli agnoſcit cauſam proximam, qua ſemel laeſae parti quovis modo inducta flecti nequit.

Prognoſin explicare non opus eſt multis, vitium enim a qualibet cauſa productum, & conſummatum nulla arte ſanandum; Os enim quodcumque cum ſibi vicino ſemel conjunctum ac evaſerit rigidum, diffringi nequit; diffringaturve licet! quis Chiron reſtaurabit? ac veteres revocabit machinas? quo menſtruo exoſtoſes? ſenectute unitas diſſolvet Vertebras? oſſis Gummata liquefaciet indurata? vel Papulas ſub tendinibus repentes abrumpet radendo? praeveniendum, ſi a fractura prope juncturas ginglymo licet unitas, nullus dubitat, quod & ipſemet ad Olecranum ſiniſtri cubiti perpeſſus & expertus ſum. Hujus modi attamen Fracturas, ut moleſtas, ut periculoſas, equidem renunciamus; pla-

gulis

(*i*) De Stupendo oſſium coalitu Diſſertat. Med. Phyſic.

gulis vero & ligaturis rite adhibendis, articulo a (*k*) nimio ac validiori compreſſu redimendo, iis eſt proſpiciendum: non enim cuivis infortunio culpa noxae, quae ſubinde noſmet ipſos, aut Chirurgos redarguit, objicienda, quorum religationibus nimium conſtringentibus partibus prope talum & cubitum inducitur pauperies; hinc illae lachrymae, obſtructiones, inflammationes, tenſio, expanſio, ſuppuratio tendinum, membranarum, ipſius lymphae interarticularis corruptio, quae tandem pronae ruunt in Meliceriam, Cartilaginem interoſſeam cum latice purulento eructantem, *Anchyloſin* poſtea provocantem, articulum turpiter mutilantem, aut teſte (*l*) Laurentio Heiſtero ipſam Gangraenam, quin immo, uti obſervavimus, Sphacelum provocantes lethiferum.

Hunc adfectum conſummatum ſanandi e praemonitis adparet difficultas & nauſea; idcirco aegri commodo cura palliativa ſtudendum. In ſpuria vero ratione cauſarum nihil non tentandum, emollientibus, blande aperientibus, ſubinde, pro re nata, confortantibus, modico adfectae partis motu, diaeta naturae morbi conveniente nonnunquam abſolvitur cura. Omnibus palmam praeripiunt (*m*) Thermae Aquisgranenſes, prae primis quas Douche vocant. Quibus vero non vacat eaſdem adire, cataplaſmatibus requiſitis, fotibus ac ſimilibus mederi convenit. Haec ſaepius ab *Anchyloſi* fractae patellae, neutiquam vero ſine mutilando redimunt, ſi callus articuli cavum fuerit ingreſſus.

Si

(*k*) Inſtitution. Chirurgic. Agricolae. (*l*) L. Heiſter. Heelkundig Onderwys Tweede Boek, 1. Deel, I. Hoofdſt. van de Beenbreuk, en de Aanmerk. van Hend. Ulhoorn. (*m*) Les Amuſemens des Eaux d' Aix La Chapelle & Traitè de Maladies des Os par Jean Petit.

Si fracturae comitem vereamur contuſionem, eamque degeneraturam in inflammationem, tundenda eſt vena, ſanguinis quippe depletione, nunquam non in hujusmodi caſu laudanda, nocturnae convulſiones oſſi fracto, ob laeſum perioſtium, familiares arcentur.

Quod ſi *Hydrarthros* fluctuet, metumque futurae *Anchyloſis* incutiat metum (*n*) evacuandus ſcalpello.

Diſlocationes ſuſpectae ſunt, quapropter easdem reſtaurare quantocius oportet; ne nimia quiete liquidi glandularum turbetur ſeparatio, vel ſtagnando aceſcat, tandemque acore ſuo Meliceriam adferat: eadem habeatur ratio contuſionis, contorſionis cum tendinum tum oſſium apophyſium, quae promptiſſimam requirunt medelam.

Si a ſanguinis diatheſi, ſcorbuto, Arthritide, depravato latice, aut a nimia lymphae copia, vel penuria originem ducat, (*o*) contraria curentur contrariis.

A cauſticis omnino abſtinendum, pinguia fugienda, reſtaurantia, haud tamen nimium adſtringentia, in uſum vocanda.

In parte adfecta movenda ſit Medicus cautus, nec eandem nimis extendat, hinc enim dolor, inflammatio, quin immo augetur malum, ſaepius itaque ac iteratis vicibus, ſed placide movere praeſtat.

Requiſita convenit diaeta e lacte aqua ac melle diluto, juſculis e carne vitulina, additis hordeo mundato, radicibus Scorzonerae, Lactuca, Acetoſa, Portulaca, blande nutrientibus, inflammationi reſiſtentibus; ut ferculis e Milio, Avena excorticata, Pane biſcocto, quae facile ferunt & conferunt. Exulent Aromata ſanguinem irritantia,

(*n*) Petit Traité des Maladies des Os.

(*o*) Hippocr. Aphor. XXII. Sect. II.

tia, ut & Cereviſia vetuſta, quae recens & tenuis requiritur. Vinum defaecatum prae caeteris rubellum prodeſt, ſed modice ſumptum.

HYDRARTHRI CURATI OBSERVATIO.

Rhedarius quiſpiam poſtquam Arthritide ad humerum ac brachium laboraſſet tandem inter manus ſuae ſiniſtrae Carpum & Metacarpum ſibi adquiſivit Hydrarthrum, quo motus membrique flexura abolevit, nec minus nervi inſtar inertis jacuit manus. Varia a variis fuerunt praeſcripta praeſidia, ſuffimina Gummatum, libavit & Maſcula Thura, queis parum ceſſit Synovia: hinc alicujus Chirurgi meumque imploravit auxilium. Manum eique incumbentem ovo gallinaceo in longum diſſecto ſimilem examinavimus tumorem, ac fluctuans articuli ſerum, membrumque offendimus Paralyſi proximum.

Miſero ac egeno homini partem mutilam faſciis & ligaturis fervente fotu ſaturis expreſſiſque uſque in brachium inferius religare praecepimus.

Fotum paravimus e ſequentibus. Corticum Quercinorum Trienti adfudimus ſufficientem quantitatem aquae communis, & poſt macerationem unius noctis coximus per duas horas, deinde colaturae librarum duarum fortiter expreſſae vini rubelli auſteri addidimus dextantem, cui brevi auſcultavit noxia, & Hydrarthros diſcuſſus, manus eodem confortante reſtaurata, eique reddita facultas.

HYDROPIS ARTICULI SANATI ALTERA OBSERVATIO.

Civis Lugdunenſis nomine Bouman una cum nuperrime de-

defuncto Jano Provo, dum viveret, Chirurgo ſagaci anno hujus ſeculi CIↃIↃCCXL me convenit ſiniſtri Brachii Cubitum Hydrarthro onuſtum oſtendens, quem examinamus, ejusque gelatinoſam intus contentam materiam animadvertimus, ſimulque ſemelque a noxia hominem adſerere rati, mox tundimus Synoviam, qua elicita, inflicto vulneri raſili linteo, faſciis & ligatura proſpeximus, pridie vero decocto in jam jam praecedente animadverſione tradito ſpleniis fervente madidis laeſam obligavimus partem, queis brevi fuit a vitio redemptus.

Haec equidem fluctuantem articuli Hydropem omnium curandi breviſſima ſemita, quam non ſine ſummo jure in hoc morbo adflictorum commodum adhortatur (*p*) Petitus.

INCIPIENTIS ICHORIS PINGUEDINOSIS PERPERAM MUNITI ADSERTIO TERTIA.

Opifex quiſpiam ulcere a nervi punctura impudici digiti adflictus, poſt varios caſus, ac Barbitonſoris alicujus invocata praeſidia, priores iſtius membri amiſit articulos, talo tertii internodii omni modo ſphacelato, tandem Chirurgicam Medicamque imploravit opem. Partem laeſam, demptis faſciis, oſſis ſeparandi gratia, Unguento Baſilico munitam offendimus ſubleſti! mox illud removendum, Cariei tinctura Myrrhyna, Euphorbii, Spiritu Matricali, oleo Chariophillorum ac Melle Roſarum rubrarum, caeterum Cataplaſmate contra Gangraenam, jam ſaepius recitato, proſpicere juſſimus; quibus brevi oſſiculum fuit ſepoſtum, ac homo,

(*p*) J. L. Petit Traité des Maladies des Os.

homo, peſſima inſcitia digito truncatus, a minitante Ichore adſertus.

HYDRARTHRI UTRUMQUE GENU OBSIDENTIS CURATIO QUARTA.

Villica Lugdunum Batavorum inter & Voorſchootanum Dominium a Genuum flexu, [abſque ingeniculando enim difficile mulgere vaccarum ubera] ſibi relaxationem membranarum ac tendinum his organis armillae fungentium officio adquiſivit, iis reſtaurandis unguenta nervina adhibuit diuque inunxit, donec ambo in praeternaturalem excreverint Genua molem, quam brevi inflammatio, hanc Gangraena non raro loco ad patellam fuit ſubſecuta, qua ſeparata, materiei foetentis, Synoviae vero effluxit copia major, praemonito confortante decocto additis herbis, foliis caeteriſque putredini reſiſtentibus, religatione requiſita Hydrarthrum penitus exhauſi, ac Villicam ab Anchyloſi vindicavi. Exemplum evidens pinguedinoſa ad articulorum Hydropem curandum plus fellis quam mellis habere, quin immo iiſdem vitium augeri ac majori exponi putredini. Nihilominus hoc morbi genus a quibuſdam ſaepius, ab Alyptis nunquam non adipoſis & oleoſis curatum ſuſcipitur, quum nihil tonum relaxantibus ab ingenuis (q) Chirurgis habeatur pejus; quaevis enim craſin membranarum augentia, confortantia requiruntur, niſi quis ſtatuat Paralyticis, ignavis & emollientibus pharmacis mederi ſatius, quam motum conciliantibus, roburque partium augentibus conveniat. Natura enim delinquente, eandem tibicine fulcire, in cauſam noxiae inquirere, ac labefactatae arte ſuccurrere oportet.

(q) Vide notas H. Ulhoorn in L. Heiſter Lib. IV Cap. XIX. Tom. 1.

FUNES-

FUNESTI SPHACELI PEDIS GENU TRANSGREDIENTIS MEMORIA.

Virgo Nicolaa Diderici Vlasveld Filia vigeſimo tertio ſuae aetatis Anno ſeculi labentis decimo quinto, a male judicato morbo inflammatorio contraxit primo in dextro pede mox ejusdem lateris in oſſe tibiae, tandem femoris genu transgredientem ſphacelum decimo quarto, poſtquam morbus eam invaſerat, die, cujus ſummo mane, [ſive materies morbifica imperfecte judicata, vel per metaſtaſin inferius exitum quaeſiverit,] ſequentia matri ſuae innuit, *Alteruter Pes, Crus, Femurque mihi inſtar inertis ponderis*, inquit, *abſque ulla movendi facultate jacent! eaque demortua perſentiſco luculenter.* Mox in auxilium vocatur Chirurgus, qui partibus adfectis proſpexit fotibus ex herbis ſeminibus caeteriſque feroci vitio reſiſtentibus petitis, ſed oleum & operam perdidit, nec enim calor, nec ſenſus reconciliabantur, virginemque, ut vera vaticinantem, ut pedem integerrime ſideratum tum temporis prima vice arceſſitus experior; caeterum partes in Genu tendentes e lurido in lividum colorem vergentes, quas in ſanas, vel ſeſe ſinceras mentientes ſcarificandas jubeo, ſed incaſſum, nullo enim dolore adficiebatur decumbens, nec, praeter laticem fulvum atrumque, quid effundebatur; cardiacis & refocillantibus ei conſulere ratus, laeſis partibus cataplaſma fragrans addita theriaca veneta & melle, ferinum malum compeſcens, imponi curavi, nullius vero haec fuerunt efficaciae, vitium enim indies ceſſit in pejus, quapropter aliorum quoque Medicorum ac Chirurgorum, prae caeteris expertiſſimi viri Huberti Dek-

keri hoc tempore Archiatri, Bernardi Scheperi atque Guilhelmi Ellinkhuzii peritiſſimorum Chirurgorum, collegimus ſententias, qui communi ſuffragio hunc *ſphacelem criticum* & jam ultra ipſum genu progredientem lethiferum renuntiaverunt, nec vanum vaticinium! brevi quippe frequenti animi deliquio, tandem ſudore colliquativo Virgo fuit extincta.

Tabulae Decimae Tertiae

Figura Prima Utrumque Crus exhibet
A. Pedem ejusque digitos, & ad tarſum & metatarſum ſcarificationes,
B. Crus inferius, cujus integumenta, nec non
C. Muſculos cum nigredine, tum Sphacelo inquinatos oſſetenus corruptos,
D. Puris ac ſqualidi laticis effluxum,
E. Genu & Femur, ſe ſana mentientia, attamen
F. Ulcuſculis obſeſſa ſubtus cava demonſtrant.

ALTERIUS SPHACELI DIRISSIMI EXEMPLUM.

Nec praecedente minor, eundem funeſtum atrociſſimus nuperrime a me cum Chirurgo Simone Touſſaint obſervatus ſphacelus, ſortitus eſt exitum, cujus hiſtoriam, malorum iliadem, expediam paucis.

Elizabet Huberti Fontyn civis Lugduno Batavi Filia, annos circiter novem nata, in octavum vixerat vegete, ſuperveniente vero convulſione menſe Junii anni poſt milleſimum ſeptingenteſimum trigeſimi octavi, valetudinaria ac dextro latere convulſiva reſtitit. Pridie calendarum Julii labentis ſeculi CIϽIϽCCXXXIX totius Pedis ſiniſtri Cruriſque Genu

TAB: XIII.



Genu ſuperantem circa medium Femoris incidit in Sphacelum, atque cum variis luctata fuit aerumnis. Miſerrime adflictae quovis requiſito medicamine ſuccurrere nervos intendimus, cardiacis, antiſpasmodicis & confortantibus interne proſpeximus, laeſae partis ſecundum artis leges rationem habuimus, ſinceras defendimus, quo minus a contagio ducerent livorem, bis indies cataplaſmate Gangraenae medente reficiendo. Vigebant ſenſus, ſortiſque patiens diram morbi crudelitatem forti ſuſtinuit animo; ſaepiuſque manum ſuam Chirurgo porrigens clamitavit *abrumpe Magiſter, abrumpe mihi Pedem, Genuque moleſtum!* confitebatur decumbentis mater, ſe frigus ab inferiori pede, quem manibus, fovendi cauſa, tenebat, paulatim ſurſum adſcendere nocte ante Calendas Julii percepiſſe luculenter, ac ſubſequente mane totum quantum Crus, Genuque omnis caloris expers, obſervaſſe.

Quo aeſtuante morbo, nova clade corripiebatur diarrhoea, qua viribus exhauſta tantopere, ut brevi de ea actum fore judicatum ſit, prae primis altera accedente calamitate octavo Iduum menſis Julii, ventris tumore, & (*a*) inflatione, morituris ominis infauſti. His licet ſaevientibus, & agmine facto miſellam circumſilientibus, ſeptimo tamen Iduum Julii ſinceras inter & necroſi adfectas partes crenam, tanquam circino deſignatam, & quarto ejusdem menſis Iduum puris primitias, futurae ſeparationis teſſeram, immo adflictam ſe melius habere, experti ſumus.

Pridie Iduum Julii integumenta corporis communia ſurſum verſus a recto & reliquis circumjacentibus muſculis putredini & ſeparationi jam cedentibus trahebantur, quum nobis

(*a*) Aph. XVII. Sect. VIII.

nobis articulationem oſſium Cruris cum Femoris extremitate nudam inſpiciendi daretur facultas. Hoc in ſtatu verſanti ſupervenit convulſio, recrudeſcente diarrhoea tanto cum impetu, ut unica die plus quam quadragies alvum depoſuerit, ac dextra quaquaverſum lividis maculis conſpurcaretur, phenomenum alterius futuri Sphaceli metum nobis incutiens, dum interim ulcus pulvere Myrrhae caeterum cataplaſmate munivimus.

Decimo ſexto Calendarum Auguſti aegerrime praemonitis vitiis diarrhaea, convulſione, ventris induratione, faciei tumore urgebatur, hinc poſtera luce ulcus aridum ac luridum reperimus, appropinquantis mortis indicium, quum ſana mente, ſub lamentabili ploratu, *jam de me actum eſt! jam actum eſt!* decimo quarto Calendarum Auguſti vitam cum morte mutavit.

Hujus adfectus, ut praecedentis graphidem curavi, ne caſus cedro digni, ob varias viciſſitudines, & tot labores a tenera & Hemiplectica tam longa dierum ſerie exantlatos, artis Chirurgicae fautoribus deficeret memoria, cujus meminiſſe horret animus, refugitque moerore.

Integram (*a*) Pedis, Cruris, Genuque uſque in Femur ſiderationem demonſtrat, crenam puriſque ſeparationem cum integumentis Corporis communibus ad medium fere Feminis prae ſe fert.

A defunctae parentibus impetrata venia necroſin examinandi, Os Femoris ſcalpro denudatum circa ſeparationem ſuperius offendimus ſanum, & a contagio librum, ab hoc vero in Tibiam, Pedemque deſcendentibus quaevis oſſa ſub Genu ſuffocata, eorumque membranae perioſtia, e rutilo fuſca ſeſe nobis obtulerunt. E quibus (*b*) Aphoriſmum Fa-

(*a*) Tab. XIII. Fig. 11. (*b*) Tractat. de Gangraena & Sphacelo.

Fabricii Hildani adſtructum, nec pati exceptionem, uti practicis ſaepius, mihi tertium obſervare contigit. Non equidem crediderim ob partes Femoris adeo carnoſas, ſed materiem morbificam male judicatam, laticum penuriam, praecipue in hac arida atque enervi, cui nihil penoris ad puris requiſitam ſecretionem congerendum, tantique Sphaceli ſeparationem promovendum. His inſuper adde, quo vitium cordi propius, eo virus per vaſa bibula ſanguini immiſceatur citius, aptum Cardialgias, Syncopen, Convulſiones, tandem ipſam inferre Mortem, quas lachrymas in hac Miſella obſervavimus abunde.

Si enim lethalitatis cauſa in Femoris muſculorum mole computanda foret, nullus Cruris extirpationem ſupra Genu perpeſſus evaderet diſcrimen; quum tamen Spina Ventoſa laborantes, prae caeteris vero Sclopetorum ictibus vulneratos, hac operatione opportune ſuſcepta, e mortis faucibus multoties vidimus ereptos.

Tabulae Decimae Tertiae

Figura Secunda.

A. Genu uſque ad

B. Digitos pedis totum quantum Crus inferius Sphacelo corruptum,

C. Crenam inter adfectas & ſynceras partes cum ſordis effluxu monſtrat.

SPHACELI CURATI HISTORIA.

Ne vero Lectori malis avibus moveam faſtidia, huic telae fronte hilariori, ejusdem tituli Morbum, exitum ut ſpondentem meliorem, ut a morte hominem vindicantem, annectere lubet.

Inclytae cujusdam Noſtratum Civitatis Incola, acuto praeeunte morbo, incidit in pedis torpedinem, quam Sphacelus ſecutus, & uſque in medium ſurae muſculorum ſerpſit, delinquente morbo, tandem circa partes recitatas ſub Genu gradum ſiſtitit. Huic medendi cauſa Agyrtham in auxilium imploraverunt amici. Qui laeſae parti cataplaſmate proſpexit, brevique crenam inter mortuas ac ſinceras obſervavit, qua viſa adeo ſubleſtus, ut Medicam opem manumque adhortatus fuerit. Accedit Medicus comite Chirurgo, qui noxam examinant, puriſque effluxum, quin immo Incarnationis primitias. Hiſce diligenter animo perpenſis, ſequens ferunt judicium. *Hunc Sphacelum ſoli naturae committendum, certi, quod pars ſiderata ſeparatione decideret*, cui praeſagio reſpondit eventus, ac homo, arte duce, incolumis evaſit diſcrimen.

LINGUAE STUPENDAE MAGNITUDINIS AC FACULTATIS OBSERVATIO.

Virguncula honeſtiſſimi civis Lugduno Batavi Diderici Keſting nomine, Vietoris in poſtrema ſic dicta Foſſa degentis filia, quindecim in praeſenti annos nata, in ſua infantia, intenſa corripitur febre, qua cum per aliquot hebdomadas fuit luctata; tandem vero ab eadem vindicatae pedetentim lingua tantam excrevit in molem, ut circiter quatuor pollices longa, ore, cujus rictum omnimodo implet, mento dependeat inferius, eamque argentea theca, oneris cauſa, adfabre concinnata fulcire, nec non occurrentium oculis abdere teneatur! Quid quaeſo conſenſus hoc habeat cum febre exploſa materie phoenomenum?

num? Quae haec? Quae criſis? Tu dic Princeps Medicorum Hippocrates! Galene! vel his Mythologe ſagacior!

Materiam morbificam, natura monſtrante viam, expelli docemur, quo modo? per quas ſemitas judicaturam? ignoramus! hinc illud eximie Hippocrates tuum ab omni memoria, (*a*) *quo vergat ducenda natura per loca convenientia*, quamvis equidem verum! conjectu tamen quam difficile!

Examinemus potius Hujus Macrogloſſae indolem, ac miremur facultates! queis aërem moderari, voces formare, ſermonem articulatim, eloquio neutiquam balbutiente proferre, nec minus corporis nutritioni conſulere, quolibet ſtupente, valeat perfecte! eandem litteras labiis, iterum in dentes linguae impulſu, tertium ejus apicis motu tremulo, aut palatum feriendo formandas enunciare, quis crederet? Tu nihilominus crede Lector! ſin ſecus, Adi, Vide, Vale.

(*a*) Aphor. XXI. Sect. 1.

FINIS.

TYPIS DAMMEANIS.

T A B U L A E

Huic operi inſervientes ſequentibus explicantur pagellis.

Tabula I.	ad Paginam	7.
II.	- - - -	24.
III.	- - - -	44.
IV.	- - - -	58.
V.	- - - -	75.
VI.	- - - -	107.
VII.	- - - -	107.
VIII.	- - - -	123.
IX.	- - - -	128.
X.	- - - -	129.
XI.	- - - -	130.
XII.	- - - -	130.
XIII.	- - - -	138.

Reſpiciunt.